

EPISTULAE DECEM ANN. 1838-1842
INTER MISSIONARIOS CSSR IN AMERICA
ET SUPERIOREM GENERALEM MUTUE DATAE
quas transscripsit atque illustravit

ANDREAS SAMPERS

INTRODUCTIO

Transscripsimus ann. 1967 et 1969 in his foliis 16 epistulas a primis missionariis Congregationis SS.mi Redemptoris ex America ann. 1832-35 Vindobonam missas ad superiorem Redemptoristarum transalpinorum P. Passerat et ad benefactores missionis (1). Addidimus epistulam Superioris generalis Ioannis Ripoli an. 1834 missionariis datam (2) et litteras quibus an. 1832 P. Passerat praesentavit missionarios Vicario generali Resé (3), nec non epistulam an. 1834 Exc.mi Purcell ad P. Tschenhens (4).

Uti iam advertimus, quando epistulas americanas an. 1835 edidimus, ultiores litterae ex America ad P. Passerat ann. 1836-42 scriptae non sunt conservatae (5). Supersunt autem decem epistulae inter missionarios et Superiorem generalem P. Ioannem Ripoli, Nuceriis Paganorum (Pagani, Italia) degentem, his annis mutue datae, quae documenta infra transcribentur.

P. Prost, qui die 15 aug. 1835 in New York advenerat, superior missionis americanae nominatus a P.e Passerat in successionem primi superioris P.is Saenderl, ann. 1838-41 quinque epistulas Superiori generali dedit (6), qui ipsi sollicitè respondit (7). Adiungemus litteras P.is Tschenhens, additas epistulae P.is Prost diei 1 febr. 1840 (8), et litteras quas invicem sibi dederunt Exc.mus Purcell et P. Ripoli an. 1839 (9).

(1) *Spic. hist.* 15 (1967) 51-78, 300-319; 17 (1969) 83-155, 354-372.

(2) *Spic. hist.* 17 (1969) 127-128.

(3) *Ibid.* 155.

(4) *Ibid.* 134-137.

(5) *Ibid.* 355.

(6) *Infra epist. nn.* 1, 3, 5, 7, 9.

(7) *Infra epist. nn.* 2, 4, 8.

(8) *Infra epist. n.* 6.

(9) *Infra epist. nn.* 2^a, 2^b.

Die 9 nov. 1840 P. Passerat nominavit novum (tertium) superiorem missionis americanae (10), P. Alexandrum Czvitkovicz (11), qui cum quinque missionariis (12), ultro se offerentibus (13), die 7 martii 1841 in New York advenit (14).

P. Czvitkovicz die 6 aug. 1842 dedit epistolam Superiori generali, quam etiam alii congregati Baltimorae degentes subscripserunt (15). Conditione et difficultatibus missionis americanae bene cognitis, ad necessitates eius superioribus maioribus Congregationis et auctoritatibus ipsius S. Sedis exponendas atque ad validum contributum procurandum, P. Czvitkovicz die 17 oct. 1842 a New York profectus est in Europam (16). Diebus 3-5 dec. Nuceriis Paganorum collocutus est cum P.e Ripoli, postquam ei epistolam commendatitiam Exc.mi Eccleston praesentaverat (17). Ad hanc epistolam P. Ripoli respondit die 3 dec. (18) et eodem die dedit epistolam P.i Passerat, ex animo eidem commendans petitionem superioris americani (19).

Compleamus hunc conspectum epistularum ann. 1838-42, quae infra transcribentur, significatione aliorum quorundam documentorum his annis conscriptorum.

Die 3 dec. 1842 P. Czvitkovicz approbationi Superioris generalis tradidit petitionem ad ampliores facultates obtinendas, iam in forma decreti conceptam. Documentum a P.e Czvitkovicz m.p. scriptum, a P.e Ioan. Sabelli, secretario Superioris generalis, in duobus locis emendatum, conservatur in nostro archivo generali (20). Petitio denegata fuit et ad hoc probabiliter P. Czvit-

(10) Diploma nominationis conservatur in arch. Prov. Baltimorensis CSSR, Brooklyn, N.Y.; photocopia in AG.

(11) Notitias biographicas P. Alexandri Czvitkovicz dedimus in *Spic hist.* 13 (1965) 49 n. 29.

(12) Patres Matthias Alig, Gabriel Rumpler, Ludovicus Cartuyvels, Frater clericus Iosephus Fey, Frater laicus Aloisius Schuh.

(13) Hoc distincte notatur a P.e Czvitkovicz in suis commentariis diurnis: *Diary of Fr. Alexander [Czvitkovicz]*, editis apud I. WUEST, *Annales Congregationis SS. Redemptoris Provinciae Americanae. Supplementum I*, Ilchester 1903, 382 in fine.

(14) Circa nominationem P.is Czvitkovicz, eiusque praeparationem ad missionem suscipiendam et iter in Americam, vide ipsius relationem: *ibid.* 372-394. - P. Czvitkovicz per quattuor annos (1841-45) moderatus est Congregationem in America. Eius regimen egregie describitur apud M. CURLEY, *The Provincial Story*, New York 1963, 64-82.

(15) Infra epist. n. 10.

(16) Circa iter P.is Czvitkovicz in Europam cfr *Diary*, apud WUEST, *Annales... Supplementum I* 434-451.

(17) Infra epist. n. 10^a.

(18) Infra epist. n. 10^b.

(19) Infra epist. n. 10^c.

(20) AG X E 12. Pater Sabelli in ore superiore documenti sequentem notitiam apposuit: «Petizione del Padre D. Alessandro Czvitkovicz di Baltimoré, fatta qui a' 3 Xbre 1842; che gli fu negata».

kóvicz refert in suis commentariis diurnis, ubi dicit sub die 3 dec. 1842 quod P. Ripoli ipsum minus benigne exceperit (21).

Ann. 1841 et 1842 quidam missionarii qui cum P. e Czvitkovicz oceanum traiecerant, epistulas in Belgium miserunt, postea ex parte in ephemeride (22) vulgatas: P. Rumpler die 7-8 martii 1841 (23) et die 24 iulii 1841 (24), P. Fey die 24 maii 1842 (25).

DOCUMENTA

1. - 1838 VI 13, New York. - Epistula P. is Iosephi Prost ad Sup. gen. Ioan-
nem Ripoli, Nocera de' Pagani.

Originale autographum conservatur in AG X E 7.

New York, 13 Iunii 1838 (1).

Reverendissime Pater!

Optime scitis, quatuor Patres nostrae Congregationis in Ame-
rica esse, missionibus in hac terra fungentes (2). Usque in hanc
diem semper locum quaevimus aptum ad erigendum collegium
nostrae Congregationis, sed ubique magnae difficultates nobis obsi-
stebant (3). Sed omnes difficultates superatae fuissent, si missus

(21) Apud WUEST, *Annales... Supplementum* I 438: « After offering my fervent prayers to our dear Saint [Alphonsus], I presented my petitions and projects to his successor in office, the Father Rector Major; the latter, however, barely listened to me and gave me no satisfaction ».

(22) *Journal historique et littéraire*; Liège, chez P. Kersten. In vol. 7 (1840-41) 606-607 habetur relatio inscripta: *Etablissement des Pères Rédemptoristes en Amérique*; haec relatio etiam invenitur apud WUEST, *Annales... Supplementum* I 468-471.

(23) Haec epistula probabiliter deperdita est in naufragio.

(24) *Journal hist. et litt.* 8 (1841-42) 299-301 (excerpta).

(25) *Ibid.* 9 (1842-43) 180-184; apud WUEST, *Annales... Supplementum* I 471-477.

(1) Sub diem scriptionis epistulae P. Ioannes Sabelli, secretarius Superioris generalis, notavit: « Si è risposto a' 19 Marzo 1839 ». Vide infra epist. n. 2.

(2) PP. Simon Saenderl et Franciscus Xaverius Tschenhens, qui die 20 VI 1832 Neo-Eboracum appulerant, PP. Iosephus Prost et Petrus Czackert, qui die 15 VIII 1835 ibi advenerant. P. Franciscus Hätscher, una cum PP. Saenderl et Tschenhens an. 1832 in Americam profectus, an. 1837 in Europam reversus fuerat.

(3) Sex mensibus ante, P. Passerat missionariis intimaverat, ut in Europam reverterent, nisi spes fundandi domum religiosam adesset. In epistula P. is Passerat ad P. Ripoli diei 9 II 1838: « Accepi heri litteras ex America... Scribunt confratres, optimam spem adesse ut in proximo omnes in communi vivant. Scripsi enim ipsis, ut, si solida spes non foret in communi vivendi, Europam petant ». Vide etiam notitias de eodem argumento in sequenti epistula P. is Passerat diei 2 III et in responso P. is Ripoli diei 29 X (AG IX C 123): « Ideo optime etiam disposuisti, quod, nisi haec eveniant et individui in unum convivere non possint, Europam potius petant ».

esset superior cum plenipotencia. Sum quidem superior, sed ligatus per vota maiora quae sunt decisiva, et priusquam aliquid agam, omnia Viennam scribere debeo. Deinde noster Reverendissimus Vicarius generalis Viennae nuntios contradicentes recipit; unde aliquid praecipitur, deinde statim revocatur, vel oppositum praecipitur. Hac de causa magna debet oriri perturbatio.

Humillime jam saepe rogavi Reverendissimum nostrum Vicarium generalem (4), ut mitteret virum cui confidit, cum tali plenipotencia, et Rev. Patrem Fridericum Held, praesentem Superiorem in Belgio (5), ipsi nominavi et dixi, si habuissem istam plenipotenciam, non optima [= omnia] facta fuissent, hoc certum est, sed tamen aliquid factum fuisset et nostra situatio esset multo melior. Nondum recepi responsum; sed Reverendissimo Episcopo Purcell Cincinnatensi in America (6) Vos visitante (7), illas preces ad pedes vestros, Reverendissime Pater, mitto. Cetera Reverendissimus Episcopus Purcell Vobis, Reverendissime Pater, omnia explanabit oretenus.

Profundissima subiectione et omni reverentia, Reverendissime Pater,

obediens filius et humill. servus
Joseph Prost m[anu] p[ro]pria
C.S.S.R.

Adresse:

To the Rev. Joseph Prost,
Roman Catholic Priest and Pastor of the German Congregation
at Norwalk,
State Ohio of the United States of North America.

Inscriptio a tergo:

Reverendissimo Patri Domino Ripoli,
Rectori Majori Congregationis Sanctissimi Redemptoris
in Nocera Paganorum
(Nocera de Pagani)
juxta Neapolim.

(4) Epistulae P.is Prost ad Vic gen. Iosephum Passerat non sunt conservatae.

(5) Notitiae biographicae P.is von Held (1799-1881) in *Spic. hist.* 2 (1954) 252 n. 71. Erat superior in Belgio ann. 1833-1841 titulo « Visitatoris », ann. 1841-1847 titulo « Provincialis ».

(6) Exc.mus Ioannes Bapt. Purcell (1800-1883), Ordinarius de Cincinnati a die 8 III 1833. Cfr *Spic. hist.* 17 (1969) 367 n. 12.

(7) Exc.mus Purcell, qui epistulam P.is Prost secum portavit, Superiorem generalem non visitavit, ut ex sequentibus epistulis patebit.

2. - 1839 III 19, Nocera de' Pagani. - Epistula Sup. gen. Ioannis Ripoli ad P. Iosephum Prost, Norwalk.

Adumbratio-minuta, scripta a P.e Ioan. Sabelli, conservatur in AG X E 8.

Pl[urim]um Rev.de, in Christo charissime Frater,

Magna cordis nostri exultatione litteras tuas ex America hodie accepimus (1), cupientes informari de vestro statu, de laboribus, de salute fratrum, istic in vinea Domini Sabaoth desudantium; sed cum eas perlegerimus, nihil horum inventientes, doluimus valde de hac tua admodum prodigiosa reticentia. Solus R. Pater Haetscher, quinque abhinc annis, de suo suorumque collegarum Saenderl et Tschenhens apostolatu apprime Nos instruxit (2); fueruntque, ni fallor, ejusdem dicta factaque fructus primaevi fervoris, qui forsitan successu temporum tepefieri permissus est, et maxime post reditum dicti R. Patris Haetscher Viennam (3).

Nos tamen, nihil de statu vestro actuali scientes, non sinimus ex corde compati vobis et praesertim cum jam septimus decurrat annus, ex quo pedem in America figere coeperitis, et adhuc de collegii erectione perquiritur. Non possumus quidem hac super re dignissimo Antistiti Cincinnatensi loqui, eo quod ipse Romae moreretur et Nos ab illa urbe 180 circiter leucas (4) distemus; sed non propterea omittimus vos eidem enixe commendare.

Cum vero majoribus Te facultatibus per Nos investiri exoptules, ad hoc ut collegium pro vestra unione adipisci, statuique vestro succurrere et incrementum aliquod dare possitis: Nos, precibus tuis lubenti animo annuentes, sequentes ipsius Vicarii nostri generalis facultates Tibi (dummodo superioris adhuc fungaris officio,

(1) Epistula praecedens.

(2) Vide longas epistulas P.is Hätscher ann. 1832 et 1833, transscriptas in *Spic. hist.* 15 (1967) 300-319 et 17 (1969) 114-127. Hae epistulae missae fuerant P.i Passerat; epistulae P.is Hätscher Superiori generali datae non sunt notae.

(3) De reditu P.is Hätscher Superiorem generalem certiore fecerat P. Passerat in epistula diei 12 X 1837: « Advenit huc (spontanee, non a me vocatus) ex America P. Hätscher, salutis animae suae ipse providens. Vere America missionariis valde periculosa est, praecipue singulis expositis ». In responso suo diei 8 XII 1837 (AG IX C 116) P. Ripoli significavit, se reditum P.is Hätscher approbare: « Adm. Rev. Patri Haetscher de felici reditu ex America nomine meo congratulaberis; cui valde compatiar, quod tanta pro salute animarum perpressus sit, licet animus illi defecerit occumbendi in certamine. Melius enim judicaverit certamina declinare, quam cum detrimento animae propriae universum mundum lucrari ».

(4) Leuca vel leuga, mensura itineraria apud Gallos; hodie lingua franco-gallica « lieue ». Cfr FORCELLINI, *Lexicon totius latinilatis* III, Patavii 1940, 64.

alias superiori vestro pro tempore existenti) subdelegamus atque concedimus, duraturas ad quinquennium, et interim ad nostrum nostrique Vicarii generalis beneplacitum; videlicet:

Ultra illas facultates, quae a mox citato nostro Vicario generali jam Tibi concessae sunt, sequentes insuper adjungimus:

1. - Erigendi collegium cum ecclesia, ex oblationibus etiam fidelium, sive pecuniariis, sive immobilibus liquidandis; salvis tamen oneribus, si quae ipsis annexa forent, prout de jure.

2. - Aperiendi novitiatum in dicto collegio et novitios, absoluto probationis anno, ad professionem votorum nostrorum admittendi.

Tantum ex litteris tuis intelleximus Tibi profuturum, cum explicite nihil quaeras. - Hinc oneramus conscientiam tuam, ut bis, ad minimum, singulis annis de omnibus abs Te actis, Nobis vel Vicario nostro Viennae rationem reddas; cui incunctanter supra-dictas facultates Tibi concessas manifestabimus (5).

Et commendantes Nos orationibus tuis, Te tuosque confratres amplectentes ex corde, benedictionem quoque nostram Vobis peramanter impertimur in Domino.

Ex collegio residentiae nostrae ad S. Michaellem, Nuceriae Paganorum, hac die 19 Martii 1839.

Initio epistolae notatur:

Ad Rev.dum Patrem Josephum Prost.

Norwalk in America,

die 19 martii 1839.

(5) Non invenimus epistolam P. is Ripoli qua P. Passerat certiore fecit de facultatibus P. i Prost datis. P. Prost ipse eas communicavit P. i Passerat, uti patet ex eiusdem epistula diei 16 VIII 1839 ad P. Ripoli: « Accepi ex America litteras Patris Prost, ex quibus certior factus sum R. mam Paternitatem Tuam Patri Prost plenariam potestatem dedisse domum novam in Philadelphia incipiendi; et sicut ex litteris Patris Prost adhuc apparet, ipse R. mam Paternitatem Tuam rogaturus est, ut Patrem Held in Americam mittas. Aperiam quoad hanc rem sensum meum: Perlibenter totam rem et totam Americam relinquerem dispositioni R. mae Paternitatis Vestrae, ita ut desiderarem liber esse ab omni gubernatione quoad Americam. Attamen coram Deo, quia conscientia mea hoc a me exigit, sequentia R. mae Paternitati Vestrae aperienda putavi: P. Prost, sciens ipse fragilitatem suam et videns quod animae suae bene consuleret, votum fecit in gravi aegritudine, quam primum sanitas ejus permittet, [in] Europam redeundi. Insuper ceteri confratres in ipsum nullam fiduciam habent. Melius foret, si omnes qui in America sunt, [in] Europam redirent et America relinqueretur, vel novi missionarii illuc mitterentur, Patrem Held mittere in Americam vix suadendum est, ne res in Belgio male se habeant et decrescere incipiant; ipse enim apud Episcopos et alios fiducia magna gaudet. Ceterum omnia dispositioni R. mae Paternitatis Vestrae permitto et quidem libentissime ».

2^a. - 1839 III 22, Nocera de' Pagani. - Epistula Sup. gen. Ioannis Ripoli ad Exc.mum Ioannem Purcell, Romae degentem.

Adumbratio-minuta, scripta a P.e Ioan. Sabelli, conservatur in AG X E 8.

Illustrissime ac Reverendissime Praesul,

Pergratum mihi fuit, post plurimorum silentia annorum, accipere tandem litteras ab individuis nostrae Congregationis Ditionem Unitam Americae Septentrionalis lustrantibus, quarum Dominatio Tua Rev.ma latorem existere non dedignata est (1); eo minus dedignabitur, ut mihi confidere liceat, responsum meum hic adnexum (2) ad illos deferre.

Valde mihi cordi fuisset, videre Te et os ad os loqui, oraculisque tuis de statu et laboribus nostrorum in regione illa ad amussim instrui, indeque illas subministrare providentias, quae meis aequant viribus. Verum, cum cognovissem Dominationem Tuam Reverendissimam moram suam Romae non esse protracturam ad tempus sacrae Apotheosis (3) usque, quae et meam in Urbe assistentiam provocat, defraudatum me sentio illa consolatione quam ex tua hausissem collocutione. Utor proinde hac rarissima occasione rescribendi nostris in America, tribuendo eas facultates illis, quibus indigere mihi videbantur. Nihil enim scribentes explicite postulant, solum a me plenipotentiam quaerunt; quae plenipotencia, ut minus sapiens dicam, multis implicatur in religione periculis, et si ego omnia concederem, eo ipso nihil concessisse declararem.

Interim tamen non possum quin enixe paternae sollicitudini tuae commendem, quotquot nostrorum apostolico muneri in dioecesi tua et extra illam sese dicant, eamque in posterum petitori sint.

Felicem atque incolumem Tibi a Domino reditum implorans, cum osculo devotissimo manus tuae, omni quo par sum cultu ac veneratione dicor Illustrissimae ac Rev.mae Dominationis Tuae.

Nuceriae Paganorum, 22 Martii 1839.

Initio epistulae notatur:

Ad Rev.mum D.num Purcell,

Ep.pum Cincinnatensem Americanum, Romae.

(1) Supra epist. n. 1.

(2) Epistula praecedens.

(3) Solemnitas canonizationis S.i Alfonsi, quae die 26 V 1839 habita est.

2^b. - [1839 V 7, Lyon] (1). - Epistula Exc.mi Ioannis Purcell ad Supgen. Ioannem Ripoli, Nocera de' Pagani (2).

Originale, scriptum ab amanuense, subscriptum ab Exc.mo Purcell, conservatur in AG X E 8.

Admodum Reverende et in J.C. dilectissime Pater,

Felix mihi visus sum, quod gratas Tibi tuorum litteras afferre possem (3); mihi pergratum erit iterum posse tuis responsum deferre in America Septentrionali vitam degentibus (4). Non parum ipsemet desidero [= doleo] ad tempus usque sacrae Apotheosis diem ducere Romae non potuisse, meaque vota votis omnium ad pedes beati fundatoris vestri miscens, illius benignam caritatem pro meis simul non implorasse. Haec autem Deus noluit. Nihilominus mihi valde cordi fuisset Te videre et Tecum colloqui de statu et laboribus tuorum in Ditione Unita et praesertim de desideriis meis, quae nunc Tuae Paternitatis cognitioni submitto.

Jamjam quidem audivisti nulla in dioecesi Americae Sept. majores esse numero Germanos catholicos quam in dioecesi mea Cincinnati, in provincia Ohio centrali, natura divite et salubri, ideoque jamjam concludisti nulli PP. Redemptores [= Redemptoristas] magis posse mereri. Quid ergo, nimis plura simul amplectentes, hic et illic laborantes, initum vero laborem abjicientes, novissimis consiliis cedentes, permanentem sedem non fundaverunt? Ex illo enim fonte tanquam rivuli per varias regiones decurrentes, granum terrae creditum irrigarent fructusque certos laborum perciperent. Haec omnia subjeci vices Rectoris [Majoris] gerenti, quem laetus vidi Vienna, ubi Societatis in ecclesia die natali Domini sacrificium obtuli (5). Ille vero Paternitatis Tuae iudicio submissus, non vult ipsemet jussa dare Patribus Americam Iustrantibus.

Itaque, Reverendissime Pater, ad caritatem tuam venio, ut jubeas illos optimos Patres hic, ubi jam sunt, manere domumque stabilem condere in urbe episcopali Cincinnati, in qua parochiae deservirent, novasque sedes, paucis post annis, in aliis dioecesibus stabilirent. Jam ex illa die servare possunt loco Norwalk, sito in provincia Ohio, qui villa novitiorum ve[1] conventus illis esset. Nunc vide, quaeso, an major Dei gloria illud non postulet et certus esto, Rev. PP. Redemptoribus [= Redemptoristis] semper amicissimum me futurum esse et illorum felicitati invigilaturum.

Tibi humillimus et obsequentissimus

✠ J. B. Purcell, Eps Cin.sis

Inscriptio a tergo:

D. Reverendissimo Patri Gen. PP. Redemptoristarum
Nuceriae Paganorum
près Naples

Signa cursus publici a tergo:

Lyon - 7 Mai 1839
Napoli - 18 Mag. 1839

(1) Dies et locus scriptionis epistolae nec initio nec in fine litterarum notantur. Desumimus diem et locum ex signo cursus publici a tergo documenti impresso.

(2) Est responsum ad epistolam praecedentem.

(3) Supra epist. n. 1.

(4) Supra epist. n. 2.

(5) Circa congressum inter Exc.mum Purcell et P. Passerat notitiae nobis non prostant.

3. - 1839 VI 27, Pittsburgh. - Epistula P. is Iosephi Prost ad Sup. gen. Ioannem Ripoli, Nocera de' Pagani.

Originale autographum conservatur in AG X E 8.

J.M.J.A.T.

Pittsburgh, 27 Junii 1839 (1).

Reverendissime Pater!

Recepi vestras litteras, datas Nuceriae Paganorum die 19 Martii 1839 (2), in hoc loco, ubi secunda Dominica post Pascha hujus anni sedem figi (3).

Suadentibus meis confratribus priori anno in Norwalk veni ad domum ibi erigendam, postquam iam per 7 annos locum aptum pro domo aliqua nostrae Congregationis quaesivimus. Multa loca a Reverendissimis Episcopis nobis fuerunt oblata, sed plerumque talia, in quibus vix unus sacerdos victum obtinere posset; rumor enim sparsus fuit, nos esse ditissimos, quare nos et Episcopi fallerentur. Ultimum refugium denique fuit Norwalk, locus parvus et etiam pauper. Omni gaudio fuimus repleti, quum in unum nos congregatos videremus.

Quanta autem fuit tristitia nostra, quum a Reverendissimo Vicario generali Viennae mandatum accepi (4), ut Rev. P. Czackert confratrem nostrum in Illinois mitterem, ut ibi domus exstrueretur. Longas habuimus consultationes, an mandatum istud exequendum sit necne. Sed non audentes praecepto resistere, R.P. Czackert in locum destinatum misimus (5), quod deinde Reverendissimus Vicarius generalis minime probavit, utpote nuntio accepto nos in Norwalk unitos fuisse. Ejusmodi errores plurimi sunt commissi propter nimis longam distantiam locorum. Remansi in Norwalk per novem menses, sed debitis pro victu necessario contractis oppressus, coactus fui locum relinquere, ne debita augeantur. R. Patrem Tschenhens ibi reliqui, in Europam cum Fratre Aloysio reversurum, ut ibi nostra bona immobilia venderet et pecuniam pro itinere pararet (6).

(1) Sub diem scriptionis epistulae P. Sabelli notavit: «arrivata a' 13 Agosto 1839; rispoto a' 20 Agosto d°». Vide infra epist. n. 4.

(2) Supra epist. n. 2.

(3) Die 14 IV 1839. Circa initium laboris apostolici P. is Prost in Pittsburgh cfr M. CURLEY, *The Provincial Story*, New York 1963, 50 ss., et Ed HOSP in *Spic. hist.* 11 (1963) 391 ss.

(4) Epistulae P. is Passerat ad P. Prost non sunt conservatae.

(5) Circa apostolatam P. is Czackert in Illinois inter immigratos ex Alsatia cfr CURLEY, *op. cit.* 49-50, qui varios allegat fontes.

(6) Fr. Alois. Schuh in Europam profectus est cum RD. Ben. Bayer an. 1840; in Americam reversus est cum P. e Alex. Czvitkovicz an. 1841. P. Franc. Tschenhens in America remansit.

Audiens miseram situationem R.P. Czackert in Illinois, non ausus sum eo ire, sed secutus sum invitationem Reverendissimi Episcopi Kenrick, Administratoris dioeceseos Philadelphiae (7). Vocavit me in hunc locum, ubi est congregatio magna Germanorum catholicorum (8). Numerantur quatuor milia in sola civitate et regionibus proxime adjacentibus. Magna pars eorum est dives. Praeter hos multae aliae minores congregationes Germanorum catholicorum in rure [= ruri] inveniuntur. Quinque sacerdotes ergo nostrae Congregationis in hoc loco laborem et victum sufficientem obtinere possunt. Duobus tantum modis hic in America domus erigi potest: vel magnum capitale debemus habere (quod autem non habemus), vel magnam parochiam, quae hic congregatio dicitur; talem congregationem nunc hic Pittsburghii habeo. Domum pro nobis sufficientem conduximus et facultatibus mihi a Vobis, Reverendissime, concessis utens, omnes confratres in hunc locum convoco. Omnibus convocatis et ordine restituto, in Europam proficisci mihi proposui, meis superioribus omnia et omnes circumstantias expositurus.

Maxime necessarium mihi videtur, Vos, Reverendissime, Vicarium generalem cum plena potentia [= potestate] saltem ab initio in hac terra constituere; nam distantia locorum est nimis longa. Iste Vicarius generalis non ex nobis est eligendus, quia plus vel minus semper circumvagantes spiritum amisimus. Indigemus viro spiritu observantiae pleno. Talis esset Fridericus Held, hoc tempore superior in Belgio. Saepius ipsum a nostro Reverendissimo Vicario generali postulavi, sed usque nunc non fui exauditus. Sed ex fonte nostrae Congregationis certissime inveniri potest, qui verbo et exemplo nobis praeleceat. Etiam si non intelligat linguam germanicam, linguam anglicanam [= anglicam] mox addiscet, quae est lingua in hac natione vulgaris.

Peto humillime, Reverendissime Pater, ut mihi respondeatis, an iter meum in Europam probetis necne, an necessarium [sit] in vestram residentiam venire et Vobis omnia ore tenus explanare, an forsitan melius sit, superiorem novum hic exspectare (9).

(7) Exc. mus Franciscus Patricius Kenrick (1796-1863), tunc coadiutor et administrator apostolicus dioeceseos de Philadelphia (1830-1842), postea Ordinarius de Philadelphia (1842-1851) et de Baltimore (1851-1863). Cfr J. CODE, *Dictionary of the American Hierarchy* (1789-1964), New York [1964], 152-153; RITZLER-SEFRIN, *Hierarchia catholica medii et recentioris aevi VII*, Patavii 1968, 85 et 305.

(8) Vide epistulas Exc. mi Kenrick ad P. Prost, transcriptas apud I. WUEST, *Annales Congregationis SS. Redemptoris Provinciae Americanae I* (ann. 1832-1849), Ilchester 1888, 268 ss.

(9) P. Ripoli responsum dedit die 20 VIII; vide epistolam sequentem.

Ad omnia paratus [sum], adjuvante Domino. - Sed oro et precor: miseremini Germanorum in America tam derelictorum. Ex penuria sacerdotum multi pereunt et [ad] partes Protestantium transeunt; alii sacramenta negligunt et nihil credere incipiunt. Illos bonam habere voluntatem in dies nova accipio argumenta; sed si me triplicare possem, non sufficerem pro dimidia parte. Multa possumus efficere, si etiam unitas inter nos restituitur, quae, superiore usque nunc ad vota majora ligatus [= ligato], saepissime perturbata fuit. Uno autem plena potentia [= potestate] [in]vestito, forsitan non fit optimum sed tamen aliquid.

Vestris orationibus, Reverendissime, et nostrorum confratrum nos commendamus intime. Ejecti in mundum, multis tentationibus sumus expositi.

Maxima reverentia et profundissima submissione, Reverendissime Pater,

Vester filius obediens et humillimus:
Joseph Prost C.SS.R.

Directio litterarum ad me est sequens:

The Reverend Joseph Prost,
R.C. Priest and Pastor of the German Catholic Congregation at
Pittsburgh
in Pennsylvania of the United States, Northamerica.

Inscriptio a tergo:

Au très Révérend Père D.D. Ioanni Camillo Ripoli.
le très digne Recteur Majeur de la Congrégation du très Saint Rédempteur
a Nucera di Pagani
dans le royaume de Naples.

p. New York et Havre de Grâce
post-paid

Signa cursus publici a tergo:

Via di Pt. Beauvoisin
Pittsburg, Pa. - Jun. 29
New York - Jul. 4
Le Havre - Outre-Mer - 28 Juil.
Paris - 29 Juil.

4. - 1839 VIII 20, Nocera de' Pagani. - Epistula Sup. gen. Ioannis Ripoli ad P. Iosephum Prost, Pittsburgh.

Adumbratio-minuta, scripta a P.e Ioan. Sabelli, conservatur in AG X E 8.

Nuceriae Paganorum, 20 Augusti 1839.

Pl[urim]um Rev.de Pater, in X° Frater charissime,

Gavisus sum valde, cum ex ultimis litteris tuis [die] 27 Junii ad me directis (1) cognovissem, Te jam meas de die 19 Martii (2) recepisse. Ego quidem litteras illas una cum aliis ad Ill.mum et R.mum D.num Episcopum Purcell, eo tempore Romae commorantem, direxi (3) ea intentione ut si possibile fuisset post meum in dictam Urbem mense Maji adventum illum reperire, os ad os loqui et sic, prout Tu me rogabas, de cunctis circumstantiis, in quibus versamini, ad amussim instrui. Sed R.mus Episcopus, non valens tamdiu expectare, ante meum adventum profectus est (4).

Modo respondeo ad dubia mihi proposita :

Non video, cur superior Europeus inter vos necessarius sit, cum ille talis eisdem rationibus iisdemque motivis ac vos niti deberet pro singulis decisionibus faciendis, quae ad bonum commune spectant; ante quamlibet definitionem vos audire, vobiscum consultare. Et haec quidem omnia Reverentia Tua, ut superior jam actualis, praestare sine illo optime potes, uti jam expertus es, mittendo P. Czackert in Illinois, qui secundum vos non debuisset illuc mitti. Sufficit, si de omnibus, quae non patiuntur moram, abs Te actis R. Patrem Passerat informes; in coeteris vero ipsius decisionem expectes.

Deinde debeo Tibi sincere fateri, quod intentio tua revertendi in Europam vel mittendi R.P. Tschenhens minime mihi placeat. Eo minus, quo magis sumptus in itinere expendendi paupertati vestrae adversentur. Negotia igitur si quae habetis in Europa,

(1) Epistula praecedens.

(2) Supra epist. n. 2.

(3) Supra epist. n. 2^a.

(4) Vide supra epist. n. 2^b.

R.mo Patri Passerat agenda committitis, et nisi ab ipso vocati fueritis, iter non aggredimini.

Gaudeo valde, quod tandem aliquando domum in dioecesi Philadelphensi, Pittsburghi, conduxeritis vobis, ubi omnes in unum congregati et simul convivere et labores in Dei gloriam et salutem animarum exantlare possitis. Semper enim vis unita fortior (5). Et ego non cesso adprecare vobis eam charismatum supernorum copiam, quae vos virtute apostolica ad debellandas aereas potestates (6), quibus impetimini, reddant fortiores et ad dilatandum J.C. regnum inter gentes et haereticos roborant. Vigilate itaque, orationi instate, omnia vestra in charitate fiant; ac Deum omnipotentem etiam pro me rogate.

Forsitan jam scitis, solemnem canonizationem S. Alphonsi Mariae de Ligorio, fundatoris nostri, [die] 26 Maji Romae celebratam fuisse, nobisque a S. Rituum Congregatione concessum esse, ejusdem festum quotannis sub ritu duplicis 1 classis cum octava celebrandi (7). Per plurimae dioeceses in Europa nunc sibi illum patronum eligunt et assidue ad S. Sedem pro tali concessione recurrunt. Quare ejusdem festum ad universalem Ecclesiam sub ritu duplicis minoris proxime extendi visum est (8).

Item Summus Pontifex benigne annuit, ut in omnibus ecclesiis nostris, quotiescumque litaniae Laurentinae recitantur, hisce in fine addatur: Regina sine labe concepta, ora pro nobis (9).

Hinc omnes fratres in vinea D.ni Tecum collaborantes, Teque amplectens ex corde, benedictionem quoque meam peramanter Vobis impertior in D.no.

(5) Hoc proverbium unaquaque lingua europea exstat, v.g.: « Union is strength » (angl.); « Einigkeit macht stark » (germ.); « L'unione fa la forza » (ital.).

(6) Cfr Eph. II 2 et VI 12.

(7) Decretum S. Rituum Congregationis diei 3 VIII 1839 invenitur in opere *Documenta authentica facultatum et gratiarum spiritualium quas Congregationi SS. Redemptoris S. Sedes concessit...*, Ratisbonae 1903, 172 n. 121.

(8) Decretum S. Rituum Congregationis diei 10 IX 1839, quo officium S. Alfonsi sub ritu duplici pro universa Ecclesia praescribitur, invenitur *ibid.* 174 n. 123.

(9) Rescriptum S. Rituum Congregationis diei 18 VIII 1839 notatur *ibid.* 173 n. 122. Iam die 27 VII P. Mautone certiore fecit P. Ripoli hanc gratiam esse concessam; epistula P. Mautone ad P. Ripoli, Roma 27 VII 1839 (AG VIII B 20).

5. - 1840 II 1, Pittsburgh. - Epistula P. is Iosephi Prost ad Sup. gen. Ioannem Ripoli, Nocera de' Pagani.

Originale autographum conservatur in AG X E 9.

J.M.J.A.T.

Pittsburgh in the State Pennsylvania
of the United States, Northamerica,
1 Februarii 1840.

Reverendissime Pater !


Secundam epistolam, quam ex Nuceria Paganorum ad nos misistis, ante duos menses accepimus (1). Multas tribulationes et labores perpassi sumus, sed Providentia Divina nos manu ducente, patrocinio Beatissimae Virginis nostrae matris adjuti, tandem ad finem pervenimus. Iam prius certiores facti estis, Reverendissime Pater, quot annos nos hic in America in variis dioecesibus et statibus circumvagati simus. Semper locum pro domo nostrae Congregationis quaerentes, magis et magis dispersi sumus, ita ut ante breve tempus quilibet nostrum in diverso statu versaretur. Jam omnes desperavimus, simul de nostro reditu in Europam meditant. Deus nos valde humiliavit, sed gratias Ipsi agimus; Deo soli nunc est honor et gloria.

Vestris, Reverendissime, facultatibus utens, domum et ecclesiam hic Pittsburghii emi. Civitas ista satis magna est et quadraginta milia hominum complectitur, et in dies crescit. Fundum quem emi, non est quidem in medio civitatis, sed in pulchro suburbio et civitati ipsi immediate confinis. Fundus in latitudine 100 pedes, in longitudine 150 pedes habet, et tribus plateis circumdatur, quarum duae sunt amplae et pulchrae, tertia autem aliquantulum angusta. Si nobis liceret et pecunia suppeditaretur, juxta fundum jam emptum etiam alium huic confinem, 50 pedes longum et 100 latum, possumus emere et ex omni parte apertas haberemus plateas, quod magni esset momenti propter incendia, quae hic sunt vere frequentia.

Fundus jam emptus cum omnibus aedificiis et ecclesia quindecim milibus constat dollaribus (pretium unius dollari est 5 francs et 6 sous, aut unus piastre hispanicus). Duo milia dollarum usque ad 1 Augusti hujus anni sunt solvenda; 600 jam solvimus, ergo adhuc 1400 restant. Reliqui 13000 dollari intra spatium 20 anno-

(1) Epistula praecedens.

rum solvi debent, una cum foenore 6%. In isto fundo plura sunt aedificia. Aedificium principale ecclesiam continet, quae quidem pro tanta multitudine Germanorum Catholicorum (4000 enim numerantur) non est satis magna, sed tamen pro casu necessitatis sufficit. Pulchra est aspectu in parte interiori. Infra ecclesiam, id est sub ecclesia, est schola latitudinis 32 pedum, longitudinis 40 et altitudinis 10. In altera parte scholae duae sunt capellae in honorem Sanctissimi Cordis Jesu et Sancti Iosephi, in quas per pronaoon vel vestibulum ingrediuntur. Istud vestibulum satis amplum etiam est infra ecclesiam, in quam per duas scalas a vestibulo ascendunt, per quas solummodo in ecclesiam venire possunt. In altera parte scholae est domicilium sacristani et ludimagistri. - Delineatio eorum quae sunt infra ecclesiam (2) :



Supra haec aedificata est ecclesia, quam honori Sanctae Philomenae dedicavi (3). In altari ecclesiae imago Beatissimae Virginis resplendet, in utraque autem parte altaris imagines Sancti Patris nostri Alphonsi et Sanctae Philomenae venerationi populi exponuntur, quas proxima aestate a Vienna exspecto.

Ad dextram vestibuli est nostra domus ita cum ecclesia conjuncta, ut immediate a nostra domo in ecclesiam ingredi possimus. Nunc pro sex sacerdotibus et tribus fratribus laicis est parata.

(2) Vide etiam delineationem totius fundi apud WUEST, *Annales* I 59 et apud WUEST, *Annales... Supplementum* I, Ilchester 1903, 152.

(3) Rationem cur dedicaverit ecclesiam S. ae Philomenae, P. Prost dedit in epistula diei 15 I 1841 ad Superiorem generalem; infra epist. n. 9. B. BECK, *Goldenes Jubiläum des Wirkens der Redemptoristenväter an der St. Philomena Kirche in Pittsburg und Umgegend*, Pittsburg 1889, 104, narrat P. Prost in Americam itinerantem, tempestate periculosa infuriente, votum fecisse, se primam ecclesiam ab ipso exstructam S. Philomenae dedicaturum esse. Haec notitia non invenitur in Relatione a P. e Prost exarata circa initia Congr. SS. Redemptoris in America; apud WUEST, *Annales... Supplementum* I 163.

Circa cultum S. Philomenae vide D. BALBONI in *Bibliotheca Sanctorum* V [1964] 796-800 et E. DAV in *New Cath. Enc.* XI [1967] 292.

Unam partem hujus domus mercatori locavi, crescente autem numero Patrum istam partem etiam nobis vindicare possumus.

Praeter haec aedificia in eodem fundo in parte ecclesiae opposita alia domus est sita, in qua quinque habitant familiae, quibus locata fuit. In medio parvus est hortus, in quo flores pro ornandis altaribus plantantur.

Omnia ista in meo nomine emi pro usu congregationis germanicae catholicae Pittsburgensis (for the use of the German Catholic Congregation in Pittsburgh). Secundum leges mea persona tali modo dominium habet hujus fundi et domorum et hoc dominium in haeredes meos transit. Sed etiam per leges obligatus sum omnibus istis solummodo in bonum congregationis germanicae (parochiae scilicet) uti, vel meum dominium germanicis Catholicis in Pittsburgh utile esse debet, sub qua solummodo conditione in haerem et emptorem transire potest.

Alio modo emptio fieri non potuit, nam leges Congregationem nostram ignorant; non agnoscunt eam tanquam personam moralem, propterea emptio in nomine nostrae Societatis est nulla coram lege. Emptio etiam debuit fieri pro usu Germanorum Catholicorum, quia ab eis pecuniam ad solvendum accipimus. Interim coram lege dioeceseos et reipublicae director sum omnium bonorum hujus ecclesiae, primo tanquam parochus, secundo tanquam possessor. Eodem modo Episcopi sunt domini omnium ecclesiarum in America Septentrionali. Nullus sacerdos titulum alicujus ecclesiae sibi arrogare potest, quum leges ecclesiasticae hoc prohibeant; excepti autem sunt superiores religiosorum. Omnia jura quoad temporalia meo successoris tunc tantummodo transferre possum, si ille est civis Americanus et venditor consentit, quia pretium non adhuc est solutum et tantum civis aptus est secundum leges ad possidendum. Ius civitatis obtinui, ad quod obtinendum commoratio per aliquot annos in America requiritur una cum jurejurando, jus civis obtenturum renuntiare suo domino supremo et habere intentionem in America permanendi.

Proventus ecclesiae, per annum circiter tria milia dollarum, unum mille pro nobis est destinatum; cetera duo pro reliquis expensis ecclesiae et pro solvendis debitis sunt destinata. Magnas summas jam expendi, nam per sex menses aedifico, paro et reparo, ut locus pro nobis et pro ecclesia sit aptus.

Confratres meos omnes in hunc locum convocavi. Rev. P. Tschenhens jam advenit cum Fratre laico Aloysio. Post sex hebdomades etiam Rev. P. Czackert ex Illinois huc adveniet, et

probabiliter festum unionis nostrae hic Pittsburghii festo Sancti Josephi celebrabimus (4).

Viam Crucis in nostra ecclesia hic Pittsburghii erecturi, humiliter petimus ut Vos, Reverendissime Pater, Romae facultatem eam benedicendi impetrare dignemini, ne fideles hic in America isto thesauro indulgentiarum diutius orbati remaneant. Etiam modum eam benedicendi ut nos doceatis, humillime rogamus.

Multa jam de veneratione Sanctissimi Cordis Jesu ad populum verba fecimus et propriam capellam ad istam devotionem inflammandam instruxi. Quantum utilitatis esset fidelibus, si confraternitati Sanctissimi Cordis Jesu incorporari possent. Peto igitur etiam pro hoc necessarias facultates. Vobis mediantibus, Reverendissime, Apostolica Sedes istas non denegabit.

Jam per quatuor annos missionibus in America fungor et cum dolore revera magno hoc dico: nullam devotionem erga Beatissimam Virginem inveni. Quantum damni iste defectus fidelibus afferat, satis quotidie perspicitur. Plerique Catholici sunt Catholici tantum quoad nomen et tepor ubique satis apparet. Magnam operam semper nobis dedimus, ut fideles ad devotionem erga Beatissimam [Virginem] excitaremus, et fructus hujus devotionis tam magni sunt et frequentes, ut in dies magis miremur. Die Sabbato et Dominica qualibet rosarium publice recitatur et festa Beatissimae cum maxima pompa celebrantur. Non dubito, nostram Congregationem esse vocatam ad devotionem erga Beatissimam Virginem in America propagandam.

Non parvum, immo permagnum fructum in America affert etiam accurata ceremoniarum observatio. Vidi sacerdotes qui timent, ne Protestantes per ceremonias offendantur. Loquor hic non de ceremoniis quibuscumque piis, sed tantum de iis quae ab Ecclesia praescribuntur. Et tales [sacerdotes] fere neminem convertunt. Alii ceremonias quidem observant, sed valde negligenter, ut eas fere contemnere videantur; qua de causa de lamentabili statu in nonnullis dioecesibus non est mirandum. Pauper ornatus nostrae ecclesiae et accurata et digna ceremoniarum observatio ita corda ad Deum trahit, ut nesciam, an concio vel celebritas [= celebratio] festi Nativitatis majorem fructum attulerit.

Magni momenti est etiam conformitas cultus. Missionarii a diversis regionibus oriundi etiam diversum cultum observabant; unde magna orta est perturbatio. Ea de causa Episcopi in Concilio

(4) « P. Czackert vero aestivo tempore Pittsburghium petiit »; WUEST, *Annales* I 66. « Der hochw. P. Czackert kam erst in Monat Mai... zurück »; BECK, *op. cit.* 108.

Baltimorensi (5) certas regulas statuerunt, non novas sed ab Ecclesia Romana desumptas, quas Papa confirmavit et quae omnes sacerdotes in Statibus Unitis obligant. Quilibet amat quae in patria didicit, aliquid novi discere etc. semper cum difficultate est conjunctum; patet ergo conclusio. In nostra ecclesia istae regulae stricte observantur, sed tamen unus vel alter contradixit, ad nostra privilegia provocans. Non nosco ista privilegia, si adsunt. Si quae sint, peto humillime, ut nobis communicentur.

Mox hic Pittsburghii sedes episcopalis erigetur (6). Magnum interest, nos prius bene hic fundari.

Operibus Patrum plane sumus orbat. Utinam quis tam misericors inveniatur, qui nobis ex superfluo contribuat. Patres hic in America maximi sunt momenti propter haereticos, qui nunquam ad eos provocant et loca nonnunquam falsa vel corrupta in lucem proferunt.

Petimus etiam humillime, Reverendissime Pater, ut ad Episcopum nostrum, nostram Congregationem ipsi commendantes, scribere dignemini. Valde pius est. Nomen eius est Franciscus Patricius Kenrick. Inscriptio epistolae est sequens: [...]. Valde nos amare videtur. Suam dioecesim visitans apud me habitavit.

Etiam Archiepiscopus Baltimorensis (7) ad me scripsit, sacerdotes nostrae Congregationis a me petens. Neque promisi, neque denegavi. Humillimam ipsi misi epistolam, nostram Congregationem ipsi commendans et apponens, nos tam paucos esse numero ut in praesenti votis ipsius annuere non possimus; nos autem paratos esse, quam primum [id] fieri poterit, ad vota ipsius ad nutum exequenda (8).

Festo Purificationis nostro Fratri laico Ludovico Kenning vestem dedi (9). Jam ante tres annos illum tanquam candidatum

(5) Concilium provinciale Baltimoreense III, an. 1837 celebratum. « In liturgical matters the Ceremonial commissioned by the first provincial council [1829] was made normative »; *New Cath. Enc.* II [1967] 40.

(6) Dioecesis de Pittsburgh erecta est die 8 VIII 1843.

(7) Exc.mus Samuel Eccleston (1801-1851), Ordinarius de Baltimore a die 19 X 1834. Cfr CODE, *op. cit.* 80-81; *Hierarchia catholica* VII 104 et 366.

(8) Die 26 VII 1840 Exc.mus Eccleston tradidit curam spirituales Germanorum suae dioeceseos Congregationi SS. Redemptoris; instrumentum transcriptum est apud WUEST, *Annales... Supplementum* I 356-358.

(9) KENNING Ludovicus; *25 XII 1807 Alfhausen, regnum Hannover; tanquam candidatus admissus 2 XI 1836 Rochester, vest. 2 II 1840 Pittsburgh, prof. 14 XII 1843 Baltimore; † 6 IV 1875 New Orleans. - Cfr WUEST, *Annales* V 3 (1872-1876), Boston 1924, 350-353, 415-418. Tres epistolae Fratris Kenning ad Superiorem generalem N. Mauron conservantur in AG Pr.Am V 3.

admisi secundum licentiam a Reverendissimo Patre Vicario vestro generali Viennae prius obtentam. Semper maxima cum fidelitate nobis servivit et magna pietate excelluit. - Postquam ceteri hic Pittsburghii advenerint, spiritualia exercitia obibimus, ut cum fervore incipiamus et ad finem progrediamur.

Me, minimum confratrem, precibus vestris, Reverendissime Pater, commendo. Mementote etiam, peto humillime, meorum confratrum hic in America. Digni sunt filii Sancti Alphonsi, per multas tribulationes probati et fideles inventi.

Profundissima submissione, Reverendissime Pater,

Vester Filius obediens
Joseph Prost C.S.S.R.

Inscriptio a tergo:

Au très Révérend Père J. Camill. Ripoli,
Recteur Majeur de la Congrégation du très Saint Rédempteur
a Nuceria d. Pagani
dans le royaume de Naples
en Italie

p. New York - Havre de Grâce - Paris - Rome

Quinque signa cursus publici impressa sunt a tergo, quorum inscriptiones tamen maxima ex parte legi nequeunt.

6. - [1840 II 1, Pittsburgh] (1). - Epistula P.is Francisci Tschenhens ad Sup. gen. Ioannem Ripoli, Nocera de' Pagani.

Originale autographum conservatur in AG X E 9.

J.M.J.A1.Th.

Reverendissime Pater!

Quum data sit mihi a nostro digno superiore haec occasio maxime optata, filiali cum gaudio profundaque humilitate pauca ad Vestram Paternitatem dirigere praesumo.

Litterae a Te, Reverendissime, nobis missae, primae aliquibus jam annis (2) et alterae anno ultimo elapso (3), pro quibus summas

(1) Epistula P.is Tschenhens adiuncta est eodem folio post epistolam P.is Prost diei 1 II 1840.

(2) Vide epistolam Rev.mi P.is Ripoli ad P. Saenderl diei 1 III 1834, transscriptam in *Spic. hist.* 17 (1969) 127-128. Aliae epistolae Superioris generalis ad confratres in America scriptae ante an. 1839 non sunt conservatae.

(3) Supra epist. nn. 2 et 4.

gratias referre vellem, mihi consolationem magnam contulerunt, quia exinde tuam et consequenter sanctam Dei voluntatem esse perspexi, quod nos Congregati bona conscientia hic [in] America continuare, itaque in vinea hac Domini tam amplissima cum benedictione in proximorum et etiam nostram ipsorum salutem cooperari possimus. Attamen de nostra salute et perfectione absque dubio multo magis periculum exstat, quam in domiciliis confratrum europensium, ita ut unusquisque nostrum, praecipue bonus Fr. Aloysius Schuh, multoties interne suspiria emittat: O, utinam in regulari quodam conventu vivere et mori possem!

Sed, Deo sint laudes infinitae, tandem aliquando melior spes mox in vita communi degendi iterumque paulisper respirandi nobis affulget; nisi forsitan continuus et immensus labor in cura animarum, ut ita loquar, nos fere devoret et ultimam religiositatis scintillam in mente nostra extinguat. Certe permultas animas ex inferni faucibus eripere possumus, praesertim confessiones generales excipiendo, postquam peccatores praedicationibus perterrefacti fuerint; ast cum sancto apostolo anatema nos fieri oportet (4). O, quam multa est messis inter tot milia Germanorum, qui ex diversis Germaniae partibus emigrati, hic ubique locorum pedem fixerunt! Et in his circumstantiis concessum est nobis privilegium in[ter] illos missiones habendi, quod nostris in Germania pro semper denegatum erit (5).

Sed ut hic praeclarissimus scopus, tali modo animas lucrandi, attingeretur, nostrae juniori coloniae quadam reformatione opus est, i.e. ut quidam novi RR. Patres magni fervoris et pietatis ex Europa nobis quantocius associantur, ut bonis eorum exemplis auxiliisque priorem religiositatis spiritum in nobis reassumant, tandemque fundamenta firmiora pro vita communi, praesertim respectu paupertatis, ponantur. Qua renovatione spirituali nec non temporali peracta, quantocius una post alteram statio seu domicilium in Statibus Unitis erigi poterit et proinde quam multum boni fieri posset. Quod beneficium ut nobis brevi [= brevi] Reverendissimus praestet, ego humillime et enixissime precor.

Interim pro viribus meis, ut justum et aequum est et semper feci, in bonum nostrae Congregationis in Statibus Unitis renascentis collaborare, imo sacrificium fieri satagam, auspice B.V. Mariae et Sancto nostro Alphonso.

(4) Cfr Rom IX 3.

(5) Ipso anno scriptionis epistulae, 1840, tandem praedicatio missionum in Austria initium sumpsit. Cfr Ed. Hosp, *Erbe des hl. Klemens M. Hofbauer*, Wien 1953, 440 ss., 460 ss.

Commendo me totius Congregationis confratribus, scil. in eorum piis precibus, et ex corde intimo salutationem illis dictito. Prostratusque ante pedes tuos, Reverendissime, et humiliter benedictionem tuam petens, sum cum veneratione summa, Reverendissime,

humillimus servus
et indignissimus filius
Xaverius Tschenhens C. SS.mi Red.

7. - 1840 V 16-20, Baltimore. - Epistula P. is Iosephi Prost ad Sup. gen. Ioannem Ripoli, Nocera de' Pagani.

Originale autographum conservatur in AG X E 10.

J.M.J.A.T.

Baltimore, 16 Maji 1840.

Reverendissime Pater!

Data occasione, Vobis non possum non scribere. Lator hujus epistulae est Reverendissimus ac Illustrissimus Dominus Rosati, Episcopus S. Ludovici (S. Louis), Status Missouri, unus ex celeberrimis et zelosissimis Praelatis Americae (1). Conveni cum ipso hic in Baltimore, ubi Episcopi hujus provinciae et omnes superiores Regularium ad Concilium convocati sumus (2). Materiam de qua agitur hic in Concilio cras in continuatione epistolae exponam, quia cras tantum Concilium aperietur et materia de qua agendum sit, publicabitur. Hodie, vestra, Reverendissime, licentia, de rebus nostram Congregationem spectantibus.

Scripsi Vobis, Reverendissime, in ultima epistola (3) de domo et ecclesia, quam emi, et domum pro sex sacerdotibus et tribus fratribus laicis bene esse instructam. Tanquam patronam nostrae ecclesiae usque nunc Sanctam Philomenam venerati sumus, sed ecclesia nondum fuit benedicta; licentia tantum data fuit ad missam ibi celebrandam et divinum officium peragendum. Omnibus ordinatis, humillime petii a Reverendissimo Episcopo, ut ecclesia

(1) Exc. mus Iosephus Rosati (1789-1843), Ordinarius de St. Louis a die 20 III 1827. Cfr CODE, *op. cit.* 253-254; *Hierarchia catholica* VII 245, 286, 357.

(2) Concilium provinciale Baltimoreense IV; cfr *New Cath. Enc.* II [1967] 40. Circa praesentiam P. is Prost vide WUEST, *Annales... Supplementum* I 181.

(3) Supra epist. n. 5.

benediceretur. Libenter his precibus annuens, concessit mihi facultatem nostram ecclesiam benedicendi. Elegi pro hac solemnitate [diem] 25 mensis Martii, festum Annuntiationis B.M.V. et Incarnationis D.N.J.C. (4). Nuntius ecclesiam nostram benedictum iri in animas Germanorum maximum gaudium excitavit, nam jam quinque annos pro ecclesia propria obtinenda decertarunt et nihil obtinuerunt quam debita. Nunc autem inopinate Deus ipsis eandem donavit; ideo multam operam sibi dabant ad benedictionem ipsorum ecclesiam digne et solenniter celebrandam.

Plures compagniae militares ex Germanis Pittsburghii sunt compositae. Quamvis vix dimidia pars sit catholica, tamen per praesentiam suam et pompam militarem solemnitatem augere voluerunt. Hora 10^a dicti diei istae compagniae ante ecclesiam apparuerunt in bono ordine positae una cum musica militari et eorum vexillis. Ecclesia nostra ad pedem parvi montis sita est. In vertice hujus montis duo tormenta bellica (canones) erant parata. Pulsio campanae et explosio tormentorum bellicorum initium benedictionis civitati annuntiavit.

Aderant benedictioni quatuor sacerdotes, quorum duo diaconi et subdiaconi munere fungebantur. Vestibus sacris ornati, ante portam ecclesiae procedimus, spectantibus et obstupefactis Protestantibus. Bonos et peritos habemus cantores qui omnia, quae cantanda sunt, perbene cantabant. Finita antiphona *Asperges*, processio circa ecclesiam incipiebat. Praecessit crux processionale inter duos acolythos, candelabra portantes. Sequebatur imago Sanctae Philomenae, floribus et coronis bene ornata; portabatur a duabus puellis, vestibus albis indutis. Imaginem sequebantur aliae puellae quatuor et viginti, omnes in vestibus albis, binae et binae, candelas ardentes in manibus tenentes, floribus in signum innocentiae coronatae. Puellas sequebantur cantores, alta et pulchra voce *Miserere* pulchre et devote cantantes; deinde clerus, deinde populus, omnes bini et bini. Ecclesiam ingredienti, imaginem Sanctae Philomenae apud altare erectam posuimus. Intra benedictionem statutis intervallis tormenta bellica in monte explodebantur. Finita benedictione, etiam milites ecclesiam ingrediebantur et cum suis vexillis militaribus in ordine positi, officio et concioni assistebant.

Deinde missa sollemnis cantabatur, assistente diacono et subdiacono. Post Evangelium praedicavi, omnes ceremonias hujus benedictionis populo explicans. Plurimi aderant etiam Protestantes,

(4) Circa diem benedictionis cfr excursum apud WUEST, *Annales* I 273 n. 22.

omnia admirantes. Post consecrationem, elevante sacerdote sanctissimum sacramentum, etiam vexilla militaria se profunde usque ad humum declinantia (5) sacramentum adorarunt, quod prius nunquam in hac ragione factum fuit. In qualibet parte principali missae tonitrua tormentorum bellicorum audiebantur, ita ut omnia aedificia tremefierent. Tota solemnitas benedictione per sanctissimum sacramentum claudebatur.

Deus ista die mihi omnes tribulationes, quas in America perpressus sum, largiter recompensavit. Tantummodo veniat nunc, qui rem continuat, quem a Reverendissimo Patre Passerat, vestro Vicario generali, jam diu petii, nam animus et corpus meum restauratione indigent.

Ne obliviscamini, Reverendissime, pauperum Germanorum in America. Multi pereunt, abeuntes ad alias sectas, quia sacerdotem non habent quem intelligunt, et magna pars sacerdotum germanorum, qui veniunt in Americam, non sunt apti pro missione.

Baltimore, 20 Maji 1840.

Dominica praecedente (6) Concilium provinciale tanta cum solemnitate fuit apertum, quantam nec in Europa vidi. Post decimam horam Episcopi et sacerdotes in palatio Archiepiscopi conveniebant. Sacerdotes vestibus sacerdotalibus, Episcopi rochetis et pluviali et mitra induebantur. Dimidia post decimam [horam] omnes in processione ecclesiam ingrediebantur, psalmos cantantes. Praecedebant ceremoniarius et thuriferarius, sequebatur crux processionale cum duobus acolythis candelabra portantibus; deinde clerus inferior, deinde sacerdotes in suis vestibus sacris: primo sacerdotes civitatis, secundo theologi Concilii, tertio superiores Ordinum, quarto Vicarii generales qui aderant. Hos sequebantur Episcopi, qui 13 numerati fuerunt (7). Ultimo Archiepiscopus cum sua assistentia.

Tota civitas ad spectandum concurrebat, et mirum: quod in Europa in regionibus catholicis Ecclesiae non licet, hoc licet in America. Ecclesiam ingressi, omnes pulchritudinem et ornatum eius debuerunt admirari; etiam in Europa ecclesia metropolitana

(5) Sic dictum « Fahnengruss ».

(6) Die 17 V 1840.

(7) Cum archiepiscopo Eccleston et episcopis suffraganeis concilio etiam interfuit Exc.mus Carolus de Forbin-Janson (1785-1844), Ordinarius de Nancy et Toul.

in Baltimore inter pulchriores numerari deberet. Ingredientibus nobis in Ecclesiam instrumenta musicae et organum ludebantur [= sonabant]. Archiepiscopus deinde missam solemnem de Spiritu Sancto cantabat. Post missam fuit prima sessio solennis iuxta praescriptum Pontificalis Romani et concio in lingua anglicana [= anglica] a Reverendissimo Episcopo England (8) habebatur.

Questiones propositae magni sunt momenti, nam [ad] jura cleri et securitatem bonorum ecclesiasticorum spectant.

Qualibet die duae sunt conferentiae. Una privata ante meridiem inter Episcopos solos et inter alterum clerum, scil. superiores Ordinum, Vicarios generales et theologos (nam ceteri non admittuntur), qui in varias congregationes divisus, diversas materias habet tractandas. Post meridiem altera communis inter Episcopos, superiores Ordinum et theologos, ubi quaestiones discutiuntur.

Una ex quaestionibus fuit sequens: An non in Europa instituendum esset seminarium, in quo iuvenes germani educarentur et sacerdotio initiarentur, ut deinde missionibus in America fungerentur, quum magna multido Germanorum propter penuriam sacerdotum perirent.

Congregatio, cui haec quaestio tradita fuit ad inquirendum, in sessione communi suam opinionem referens respondit, difficile et non conveniens esse instituere tale seminarium in Europa; facilius et utilius autem esse [= est] institutio talis seminarii in America. Hanc responsionem congregatio specialis multis argumentis adjuvabat [= confirmabat]. Eadem congregatio etiam Episcopis suasit, ut nobis directionem hujus seminarii traderent, quum locum satis magnum et aptum habeamus.

Nolui statim a principio contradicere, melius esse putans, opinionem Episcoporum exspectare. Aliqui Episcopi sunt contrarii, alii se nondum expresserunt. Nescio resultatum [= exitum]. Etiamsi scirem, nollem judicare, videns in altera parte Regulam (9), in altera magnam miseriam Germanorum Catholicorum in hac regione. Quomodo agendum sit, si Episcopi institutionem hujus seminarii a nobis postulaverint, Vos, Reverendissime, me quam primum certiore faciat, quod humillime peto.

(8) Exc. mus Ioannes England (1786-1842), Ordinarius de Charleston a die 11 VII 1820. Cfr CODE, *op. cit.* 84; *Hierarchia catholica* VII 134.

(9) Regula CSSR, approbata a Benedicto PP. XIV die 25 II 1749, expressis verbis directionem seminariorum vetat congregatis. *Spic. hist.* 16 (1968) 415 n. 5.

Omni reverentia et profundissima submissione, Reverendissime Pater,

Vester filius oboediens
Joseph Prost C.SS.R.

Inscriptio a tergo:

Au très Révérend Père J. Camille Ripoli,
Recteur Majeur de la Congrégation du très Saint Redempteur
a Nocera de' Pagani
en Naples

8. - 1840 X 24, Nocera de' Pagani. - Epistula Sup. gen. Ioannis Ripoli ad P. Iosephum Prost, Pittsburgh.

Originale, scriptum a P.e Ioann. Sabelli, subscriptum a P.e Ripoli, conservatur in archivo Prov. Baltimorensis CSSR, Brooklyn, N.Y. - Adumbratio-minuta, scripta a P.e Sabelli, conservatur in AG X E 10 (1).

V.J.M.J.A.

Nuceriae Paganorum, 24 Octobris 1840 (2).

Pl[urim]um Rev.de Pater, in Christo Frater charissime,

Duas iterum epistulas a Te accepi, unam per postam sub die 11 Februarii ad me scriptam (3), alteram vero de die 16 Maji manibus propriis R.mi Domini Rosati, Episcopi Luisianensis, mihi porrectam (4). Ad ambas simul breviter respondeo:

Gavisus sum valde, quod tandem aliquando domum cum ecclesia, terrisque propriis eidem adjacentibus, Deo juvante, vobis comparaveritis. Intellexi pariter non minus quantitatem earum et pretium enorme totius possessionis, cum oneribus ipsi adnexis, quam emolumenta spiritualia et temporalia inde sequutura. Spero proinde fore ut, auxiliante Deo et favente tempore, debita inde contracta per temetipsum paulatim extinguantur; et tum maxime, si Deus vobis per benefactores civitatis adeo opulentae de succursu

(1) Epistula iam edita est apud WUEST, *Annales* I 274-276, secundum originale in archivo Prov. Baltimorensis CSSR conservatum. Opportunum tamen videtur epistulam etiam hic transscribere, ut series sit completa.

(2) In adumbratione-minuta locus et dies scriptionis epistulae notantur: Pagani, 20bris 1840.

(3) Supra epist. n. 5.

(4) Epistula praecedens.

provideat, vel de legato Leopoldino Viennensi (aus der Leopoldinen Stiftung) vobis aliqua summa subministretur (5).

Pro impetranda facultate benedicendi Viam Crucis et aggregandi fideles Confraternitati SS.mi Cordis Jesu, Romae erectae, jam scripsi et habebis illam, uti spero, mediante eodem Episcopo.

Devotio erga B.M.V. et exacta observantia ceremoniarum secundum rubricas inter vos optime procedit.

Si erectio Sedis episcopalis Pittsburgi expectatur, superfluum videtur scribere Episcopo Kenrick.

Ad alteram epistolam, quam Baltimore die 16 et 20 Maji mihi scripsisti, sequentia, tua consideratione digna, subjungo.

Pulchra quidem, devota et mirae aedificationis, tum celebratio sollemnis, tum benedictio ecclesiae vestrae Pittsburgi, nec non processio ea occasione habita, excelluit. Sed id quod laudare et multo minus approbare possum, est illud, quod vos qui Philumenistae non estis sed estis Ligoristi, hoc non obstante tamen primam in America ecclesiam vestram non Sancto Alphonso, Patri et Fundatori nostro, sed Sanctae Philumenaе potius dedicastis. Haec vestra agendi ratio non solum inconvenientiae, sed etiam non mediocris imprudentiae notam incurrit.

Quaestio illa, quae in Concilio Baltimorensi circa seminarium directioni vestrae subjiciendum agitata fuit, nullatenus vos respicere debet, neque in praesenti, neque ullo unquam tempore; quia directio seminariorum per Regulam nobis prohibetur (6), et quidquid contra Regulam, a S. Sede approbatam, agitur, contrarium est divinae voluntati ac proinde nec a Deo benedicitur, nec bonum exitum obtinet. Oportet igitur Te esse fortem et constantem, quoties vobis proponuntur assumere onera, vocationi vestrae contraria, semper prohibitionem a Regula vobis inflictam opponens. Directio seminarii Regulam evertit, sanitatem destruit, opus missionum impedit et incalculabilibus negotiis, sollicitudinibus, angustiis et periculis directores afficit; qui etsi bene currant, extra viam tamen currunt, dum contraria Deo promissis agunt.

Mitto Tibi, hac occasione, Bullam canonizationis nostri Sancti Fundatoris, cujus solemnitatem, anno proxime elapso, magna cum exultatione Romae celebravimus. Mitto Tibi etiam duo exemplaria

(5) Ultima sententiae pars (« vel de legato Leopoldino » etc.) non habetur in adumbratione-minuta.

(6) Vide notam 9 ad epistolam praecedentem.

Brevium indulgentiarum, ad hoc ut ditior evadat grex curae tuae commissus (7).

Demum gratias ago Rev.do Patri Tschenhens, quod memoriam mei litteris sui habeat (8). Gavisus sum valde de fervore, quo fertur pro salute tot animarum in periculo perditionis versantium, quare collaboratores in vineam istam sibi mittendos petit. Sciat vero, salutem Europeorum non minori forsitan impetu periclitari quam Americanorum, eo quod mediis cunctis efficacibus circumvallati, his spre-
tis, passim praecipites in vitia omnis generis abripiuntur et duriori
iudicio sese exponunt. His tamen minime obstantibus, ego nullum
non moverem lapidem ad succurrendum vobis, nisi magna penuria
operariorum laborarem, et ii qui mecum sunt, ob defectum lingua-
rum vobis inutiles non essent. Rogamus ergo Dominum messis, ut
dignos et habiles operarios mittat in messem suam (9).

Et commendans me orationibus vestris, singulos amplector ex-
corde, benedictionem quoque meam peramanter vobis impertior in
Domino.

Addictissimus in Xto Frater
Joannes Camillus Ripoli Cong.nis SS. Redemptoris
Rector Major et Superior G.lis

P.S. (10) Adhuc mitto Tibi Decretum Urbis et Orbis a S. Sede
in honorem S. Alphonsi emanatum, quo scias universalem Eccle-
siam ad Officium ejusdem Sancti sub ritu duplici minori et ad Mis-
sam obligari (11). Congregatio vero nostra per aliud rescriptum
pontificium obligatur ad celebrandum illud sub ritu duplici 1 clas-
sis cum octava die 2 Augusti in perpetuum (12). Et hanc octavam
respicit primum Breve indulgentiarum die 10 Januarii nobis con-
cessum (13). Sacras reliquias Divi nostri Patris Alphonsi, quae vo-
bis pergratae forent, non habeo, vix vi parvulam particulam ab uno
individuo imploravi et hanc Tibi mitto, eamque Tibi authenticare
facias.

(7) Breve diei 10 I 1840 et Rescriptum diei 18 V 1840; *Documenta authentica* 175 n. 124
et 177 n. 126.

(8) Supra epist. n. 6.

(9) Mt. IX 38; Lc. X 2.

(10) Postscriptum non habetur in adumbratione-minuta.

(11) Decretum S. Rituum Congregationis diei 10 IX 1839; *Documenta authentica* 174
n. 123.

(12) Decretum S. Rituum Congregationis diei 3 VIII 1839; *ibid.* 172 n. 121.

(13) Breve diei 10 I 1840, *ibid.* 175 n. 124.

9. - 1841 I 15, Baltimore. - Epistula P. is Iosephi Prost ad Sup. gen. Ioannem Ripoli, Nocera de' Pagani.

Originale autographum conservatur in AG X E 11.

J.M.J.A.T.

Baltimore, State Maryland,
of the United States, Northamerica,
15^a Januarii 1841 (1).

Reverendissime Pater !

Litteras vestras una cum Bulla canonizationis Sancti Patris nostri Alphonsi ceterisque inclusis heri rite accepi (2). Maximas pro eis gratias refero, praecipue pro illo thesauro inestimabili, scil. reliquia ex ossibus Sancti Patris nostri. Archiepiscopus istam reliquam authenticabit, quae deinde in nostra ecclesia publicae venerationi exponetur.

Magnam operam semper nobis dedimus ad devotionem erga B.M.V. populo inculcandam. Rosarium et litaniae quolibet Sabbato in nostris ecclesiis recitantur; praedicationem de gloria B.M.V. omisimus, quia numero pauci multis aliis negotiis opprimimur. Semper autem diebus festis Dominae nostrae officia divina cum magna pompa celebravimus et laudes ejus praedicavimus, imo nullam omisimus occasionem ad populum ad devotionem erga B.M.V. excitandum.

Humillime veniam precor quod litteras misi, quae tam multum constabant. Hic in America non secundum pondus chartae, sed secundum numerum foliorum solvitur, propterea difficile est chartam invenire quae est tam parvi ponderis quam in Europa. Tantum usque ad mare pro epistolis solvere possumus; conventum fuit inter regimina, ut altera pars pretii in Europa solveretur (3).

Humillime etiam veniam rogo propter stultitiam quam eo commisi, quod Sanctam Philomenam, non autem Sanctum Alphonsum patronum nostrae ecclesiae Pittsburghii elegerim (4). Stultitiam illam jam proficiscens in Americam commisi. Antequam in Americam profectus sum, perturbationem rerum nostrarum in America nescivi.

(1) Iam duobus mensibus ante, die 9 XI 1840, P. Alexander Czvitkovicz superior missionis americanae loco P. is Prost nominatus fuerat. Notitia huius mutationis tantum tempore quadragesimae 1841 ad P. Prost pervenit, uti ipse dicit in sua Relatione; apud WUEST, *Annales... Supplementum* I 205.

(2) Epistula praecedens.

(3) Quomodo notitia circa epistularum sumptum P. i Prost transmissa sit, nescimus. Forsitan in epistolio P. is Sabelli, quod deperditum est.

(4) Vide notam 3 ad epist. n. 5.

Tantum ultima die ante discessum meum mihi fuerunt omnia patefacta. Onere eadem die mihi imposito tremefactus, valde timui. Debui ire in terram sectariorum fanaticorum, in qua fratres mei vivebant dispersi et dissentientes, ad episcopum qui fratres meos ipse dispersit, eosque convivere non permisit, tanquam juvenis et inexpertus. Nullum alium refugium habui nisi ad Beatissimam Virginem Mariam. Hac occasione mihi in mentem venit Thaumaturga nostri saeculi Sancta Philomena. Non decet se excusare, sed liceat mihi pro honore hujus Sanctae Virginis et Martyris.

Jam itinere timore correptus, igitur votum emisi, primam ecclesiam dedicandi honori Immaculatae Conceptionis, secundam autem Sanctae Philomenae. Primam partem voti mei in Greenbay persolvi, alteram partem denique Pittsburghii. Iam fere 4 annos fui in America et res semper in pejus devenerunt; anni revera tribulationis et tentationis ab intus et ab extra. Omnis spes ita evanuit, ut omnes aufugere vellent. Sine sufficiente vestitu, sine pecunia, imo aere alieno contracto veni Pittsburghium ad parochiam, in qua populus in duas partes fuit divisus, sibi inimicissimas. Sacerdotes aufugerunt. Altera istarum duarum partium Episcopum coram iudice saeculari accusare et in carcerem conjicere voluit. Aes alienum hujus parochiae fuit 3000 Dollars. Nullum fundum, nullam ecclesiam, nullam scholam, nullam habebant pecuniam. Ecclesiam, qua utebantur, pretio conduxerunt, pro qua quotannis 300 Dollars solvere debebant.

In talibus angustiis, nesciens quid faciendum sit, iterum ad Thaumaturgam hujus saeculi confugi et genuflexus coram altare cum toto populo votum fecimus, novam ecclesiam in honorem hujus Thaumaturgae dedicare. Quae sequebantur, nota sunt. Gratias Deo, B.M.V. et Sanctae Philomenae.

Statim intellexi defectum, me prius Sanctum Alphonsum debuisse invocare. Istum defectum reparaturus, aliam ecclesiam, prope Pittsburghium pro nostra missione aedificatam, honori Sancti Alphonsi dedicavi (5). Multi pueri in baptismo nomen Sancti Alphonsi accipiunt et puellae Sanctae Philomenae.

Quam bene res procedant, uti certe supponere possum, jam Vos, Reverendissime, ex Vienna certiores reddiderunt. Archiepiscopus Baltimorensis ecclesiam S. Joannis hujus loci tradidit nostrae Societati pro studentatu, quia hic optimam habemus occasionem no-

(5) In Relatione sua circa initia Congr. SS. Redemptoris in America P. Prost narrat: «Zwölf Meilen nördlich von Pittsburg baute ein vermöglicher Deutscher eine hübsche, ziemlich geräumige Kirche, die zu Ehren des hl. Alphonsus eingeweiht wurde». Apud WUEST, *Annales... Supplementum* I 178.

stros juvenes in collegium S. Mariae Sulpitianorum mittendi (6). Adhuc aliam ecclesiam in hac civitate nobis est traditurus, scil. ecclesiam S. Jacobi minoris, quae est revera splendida. Pecuniam et sacerdotes quotidie ex Vienna exspectamus. Documentum quo ecclesia S. Joannis nobis traditur, ipse composui et in quantum potui, nostrae regulae favorabile feci, in quantum scilicet circumstantiae hoc permittebant. Superior hic in America semper duobus dominis servire debet.

Deus nos valde humiliavit, sed nunc nos erigit. Vestram, Reverendissime, orationem et benedictionem enixe rogamus. Vestrae epistolae valde confortant; humillime rogamus, ut frequenter mittantur (7).

Omnes Patres et Fratres bene valent. Salutamus omnes reverendos Patres et dilectos Fratres.

Magna laboramus penuria librorum, praecipue Patrum. Omnia opera Sancti Alphonsi, quae invenire possum, emo. Sed valde numero pauca hic in America inveniuntur. Nuperrime opera S. Chrysostomi pro 90 Dollaribus emi. Utinam Corneliū a Lapide possimus obtinere.

Benedicite, Reverendissime Pater,

Vestrum Filium indignum
Joseph Prost C.SS.R.
Pastor of St. John's Church

Inscriptio a tergo:

Reverendissimo Patri Domino Joanni Camillo Ripoli,
Congregationis Sanctissimi Redemptoris Rectori Majori et Superiori Generali
Nuceriae Paganorum
in Regno Neapolitano
dans le Royaume de Naples
Kingdom of Naples

via New York - Havre de Grâce - Paris - Rome.

Octo signa cursus publici impressa sunt a tergo, quorum inscriptiones tamen maxima ex parte legi nequeunt.

(6) Circa hoc primum seminarium in America, erectum an. 1791, auctore Exc.mo Ioanne Carroll, cfr *New Cath. Enc.* II [1967] 36.

(7) Ulteriores epistulas inter PP. Ripoli et Prost datas non invenimus.

10. - 1842 VIII 6, Baltimore. - Epistula P. is Alexandri Czvitkovicz e. a. ad Sup. gen. Ioannem Ripoli, Nocera de' Pagani (1).

Originale autographum conservatur in AG X E 12.

Baltimore, 6^a Augusti 1842 (2)

Reverendissime Pater,

Ex epistulis Rev. P. Vicarii generalis nuper a nobis receptis (3) intelleximus, Congregationem nostram post nostram in Americam Septentrionalem emigrationem (4) in provincias partitam [esse] (5), ipsum quidem in suo munere ad Capituli gen. convocationem usque confirmatum (6), suam tamen potestatem ita limitatam ut absque praevia authorizatione a Vestra Paternitate obtenta nec novas domus aut foundationes acceptare nec subjecta post emissa vota dimittere possit (7). Hoc quidem cum gaudenti et pergrato animo audivimus, cum sic multiplicatis directi ad V. Paternitatem recursus et directae cum ipsa correspondentiae rationibus et occasionibus vinculum unitatis, divisione illa nedum ruptum aut relaxatum, quin imo magis magisque reseratum et firmatum fuerit, sicque multiplicitate et divisione majore major efficiatur unitas. Quam unitatem brevi adhuc majorem futuram speramus nos in his dissitis regionibus constitutos inter et V. Paternitatem, quippe cum domus nostrae, Deo specialiter favente, majorem stabilitatem nunc in dies acquirant sicque ad novam constituendam provinciam aptae evadant, ut V. Paternitas ex relationibus Rev. P. Vicarii gen. haud dubio jam dudum intellexit (8) et adhuc melius ex his litteris intelliget (9).

(1) Manuscriptum in diversis locis laesum est, ita ut quaedam vocabula aut partes eorum vix legi possint. Textum, quantum possumus, reficiemus, includentes inter uncus acutos < > vocabula et syllaba addita. Inter uncus quadratos [] vero includemus quaedam vocabula in epistula a scriptore omissa vel a nobis ad meliorem textus intellegentiam inserta, uti communiter facimus in documentis transcriptis in *Spicilegio*.

(2) Sub diem scriptionis epistulae P. Sabelli notavit: «arrivata in Ottobre 1842».

(3) Epistulae P. is Passerat ad P. em Czvitkovicz datae nos latent.

(4) P. Czvitkovicz die 7 III 1841 in New York advenit; vide notam 14 ad Introductionem.

(5) Decreto S. Congregationis Episcoporum et Regularium diei 2 VII 1841 Congregatio SS. mi Redemptoris divisa fuit in sex provincias. Documentum editum est in opere *Acta integra Capitulum generalium CSSR, 1749-1804 celebratorum*, Romae 1899, 301-303.

(6) Vi decreti diei 2 VII 1841 Vicarius generalis in munere constituebatur «auctoritate S. Sedis». Cfr *Spic. hist.* 2 (1954) 49.

(7) In decreto diei 2 VII 1841: «Rector Major suo Vicario generali delegare debeat omnes suas facultates, exceptis tantum eis quae respiciunt novas foundationes domorum, divisiones et erectiones provincialium, ejectiones professorum, dispensationes votorum et approbationem Capitulum provincialium». *Acta integra Cap. gen. CSSR* 302.

(8) In archivio generali nostro non conservantur relationes P. is Passerat an. 1842 Superiori generali datae circa res americanas.

(9) Provincia Americana erecta fuit die 29 VI 1850.

Quatuor nunc habemus in his Americae Septentrionalis Foederatis Statibus stationes, quarum duae, caeteris firmiter stabilitae et majori Patrum numero provisae, domus aut collegii nomen mereri jam videntur. Statio Baltimorensis, licet ultimo acceptata, inter alias tamen est principalis et praecipua; quatuor in ea sunt Patres professi una viventes, unus novitius sacerdos (qui nuper ex Germania advenit) (10), unus Frater serviens professus et tres Fratres servientes candidati, una cum quinque juvenibus 12-16 annorum, quos litteris et virtute imbuere sicque ad novitiatum disponere studemus, cum haec sit hac in regione, in qua religio catholica adhuc in suis veluti incunabulis est et Protestantium sectae numero et forma diversissimae nimiam influentiam quoad vigentia principia et mores exercent, unica nunc via formandi bonos sacerdotes et praecipue digna membra Congregationis. Completo aedificio, hoc ineunte anno incepto, majorem eorum numerum admittere poterimus. Quos hucusque admisimus, a parentibus ex Germania oriundis nati hicque educati sunt, indeque utramque linguam, germanicam scilicet et anglicanam [= anglicam] callent et in utraque studio faciliter perfectiores evadunt.

Reverendissimus Archiepiscopus Baltimorensis una cum Rev. D. Deluol, superiore Sulpitianorum, Baltimorae, est noster praecipuus protector, fautor et amicus, unde meretur specialiter cum praedicto superiore ejusque Vicario generali in numerum nostrorum benefactorum cooptari et in precibus omnium nostrum memoratus esse.

Pittsburghi in Statu Pennsylvaniae tres sunt Patres professi: Rev. P. Ludov. Cartuyvels ex Belgio oriundus, superior, Rev. P. Saenderl et R.P. Czackert (duo ex antiquis), duo Fratres servientes novitii et unus Frater serviens candidatus. Norwalk in Statu Ohio: Rev. P. Tschenhens, superior (unus ex antiquis) et R.P. Alig ex Helvetia et unus Frater serviens novitius. Rochester in Statu New York: Rev. P. Bayer cum uno Fratre serviente professo.

Prima ex his duobus ultimis stationibus, Norwalk scil., fuit quodammodo prima nostrae Congregationis domus in hac regione. Nobis tamen advenientibus, erat a Patribus nostris derelicta, sed orto ibidem per germanicum sacerdotem, ipsorum successorem, gravissimo schismate, aliquomodo coacti fuimus, Episcopo loci etiam enixe petente, unum ex nostris iterum eo mittere, ut schisma tolleretur; omniaque sic Deus disposuit ut, elapso aliquo tempore, alio Patre et Fratre serviente eo missis, nunc appareat illam stationem

(10) Iosephus Müller, qui et epistolam subscripsit.

nobis esse retinendam. Secunda vero, Rochester scil., provisorie tantum retinetur et ni locales circumstantiae multum mutantur simulque noster numerus augeatur, probabiliter brevi derelinquenda erit.

Reditus temporales omnium harum stationum tales sunt ut ad sustentationem Patrum et Fratrum, ibi nunc commorantium, abunde sufficient; estque non tantum spes, sed et certitudo quod brevi sic augebuntur ut major numerus sustentari possit. Baltimore est urbs 130.000 inhabitantium, Pittsburgh 40.000, Rochester 20.000 et Norwalk 3000. In tribus prioribus urbibus domus et ecclesiae nostrae sunt in urbibus ipsis; in ultima vero tribus circiter milliariis (leuca gallica circiter) ab ea distat.

Labores nostri pro bono spirituali proximi in his permanentibus stationibus sunt iidem ac illi cujuscunque pastoris seu curati, attamen ubicunque et in illis majoribus urbibus quam maxime secundum finem nostrae Congregationis specialem, quippe cum habeant pro objecto Germanos, qui generaliter sunt quoad temporalia pauperiores et quoad spiritualia magis destituti, cum paucissimi sint sacerdotes germanicae linguae, alique anglici idiomatis propter nimiam difficultatem et nimis multos alios labores illam addiscere negligant.

Praeter hos labores alii sunt a laboribus ordinarii pastoris magis minusve differentes :

1° - quidem quolibet anno sat magnus numerus confessionum generalium, quae communiter propter spontaneitatem, si sic dicere licet, et consequentem fructum earundem plurimum consolationis nobis afferunt.

2° - instructio et praeparatio catechumenorum (fere omnes enim sub conditione baptizantur denuo) ex diversis sectis ad Ecclesiam redeuntium, quorum longe major numerus vere ferventes christiani postea evadunt. Talium habuimus 40 anno praeterito, praeter aliquot juniores 2-10 annorum. Hoc anno eundem fere habebimus numerum, licet circumstantiae non sint tam favorabiles, eo quod, dum nova ecclesia quae nunc aedificatur, finita sit, residemus extra praecinctum urbis (11), unde ad veniendum ad instructionem non raro 3-4 milliariorum iter habent et tantumdem ad redeundum. His adde aliquos provectioris aetatis aut pauperiores, quos privatim instruimus et praeparamus ad primam communionem.

(11) Ex germ. « Stadtgürtel ».

3° - tandem missiones extra urbem, quae quidem a missionibus in Constitutionibus nostris definitis (12) omnino differunt; in earum tamen spiritu sunt. Impraesentiarum hic est earum modus: In viciniis stationum visitamus singulis communiter mensibus varias stationes, in quibus Catholici (Germani praecipue) resident (13). Sabbato vespere et Dominica mane audiuntur confessiones, postea cantatur seu dicitur missa et habetur concio ad populum. Post meridiem vesperae seu alia devotio et instructio catechetica, si necessarium videatur. Praeterea baptizantur parvuli et matrimonio junguntur qui parati sunt. Dominica vespere et die Lunae mane audiuntur caeterae confessiones et, ni adsint infirmi, eadem die Lunae reditur domum. Fere omnes tales missiones distant tantum 10-15-20 milliariis. Paucas tamen habemus longius distantes, unam quidem 160 milliariis, quod tamen iter fere integre per vaporem (14) nunc una die et nocte perficitur. Tales sunt nunc circumstantiae, ut nondum plures Patres simul exire possint propter paucitatem incolarum in talibus locis et propter sumptus extraordinarios. Est tamen spes quod procedente tempore etiam hoc fieri possit, imo et nunc possemus praestare in majoribus urbibus, si major esset nostrorum numerus. Aliquas tamen missiones jam fecimus per aliquot dies continuos ad normam nostrarum missionum, in quantum fuit possibile.

Talis est nunc status nostrae Congregationis in hisce regionibus. Omnia prosperantur, omnia succedunt in nostrum favorem, licet, ut verum fateamur, a Liberis Muratoribus, qui hic abundant, et a male dispositis Catholicis et Aatholicis non amemur, imo odio habeamur, quod de caetero bonum est signum. Unum tantum deest et desiderandum relinquitur, efficax scil. succursus a caeteris nostrae Congregationis domibus et provinciis, quorum superiores nimis pro domo sua esse videntur. Non est quidem sermo hic de succursu et subsidiis pecuniariis, sed de novis subjectis mittendis, licet multi sint qui desiderant, imo et pluries petierint licentiam huc veniendi et in omnibus litteris nostris hoc unum petierimus et petamus, cum tamen certo certius et nos, ni numerus noster augeatur, paulatim in fervore et spiritu nostrae Congregationis decidemus et omnis spes melioris successus ut antea iterum evanescet. Unde unanimiter conclusimus ad V. Paternitatem recurrendum et petendum ab ipsa, utpote a capite cui totius corporis bonum cordi est, ut et

(12) Vide Constitutiones CSSR an. 1764, Pars I, Cap. I, Const. 9: De ratione instituendae missionis; *Codex Regularum et Constitutionum CSSR*, Romae 1896, 72-88.

(13) Stationes curatae enumerantur apud WUESTR, *Annales* I 123-124.

(14) Ex germ. « Dampfer », « Dampfschiff ».

nunc suppliciter et humillime petimus, ut huic rei providere velit et aliquid certi statuere, ut pro aliquot annis, usque dum scilicet nos ipsi subjectos formare aut formatos habere possimus, quaelibet provincia certum numerum subjectorum, v.gr. duos, quotannis mittat, si adsint qui hoc desiderent et petant. Tunc enim numerum Patrum in domibus nunc extantibus paulatim augere et necessarias stationes occupare poterimus.

Inter stationes quas necessarias vocare lubet, sunt principaliter duae: New York <atque> Philadelphia, quae licet in magnis, imo in duabus principalioribus urbibus hujus unionis, tamen a <nostra> Congregatione occupandae essent, quia in iis populus germanici sermonis magis est derelictus et spirituali succursu maxime destitutus.

In Philadelphia 10.000 circiter sunt Germani catholici, qui nunc, proh dolor!, ab uno sacerdote (Germaniae principiis insuper imbuto) curantur seu potius curandi essent in urbe plurimorum miliariorum extensionis. Quomodonam hic unus sufficere potest visitationi infirmorum, confessionali tempore Paschatis et per annum, scholae, instructioni adultorum et puerorum? Hic non est possibilis aliqua accessio catechumenorum; imo in dies ipsi Catholici nati decidunt et miserabiliter pereunt. Ex hac simplici et in omni parte verissima minineque fucata expositione V. Paternitas videre potest, hanc vere esse stationem a nobis necessario occupandam, si aliquid boni facere velimus, similiter etiam 4 aut 6 statim sacerdotes ferventes et robustos hic sufficientem laborem inventuros. Ubi autem sufficiens labor, ibi et sufficiens sustentatio hic invenitur, ut experientia docet. Haec statio nunc nobis offertur ab Episcopo cum conditionibus favorabilioribus.

In New York, uti longe major est numerus Catholicorum germanici idiomatis, ita etiam major est eorum miseria spiritualis, ideoque et haec statio esset a nobis necessario occupanda, eo magis quod New York sit quodammodo clavis totius Americae Sept. Eo singulis hebdomadibus plura adveniunt milia immigrantium, quorum magnus numerus sunt Germani. Ex his multi adveniunt parati et ut pluries coacti ad ineundum matrimonium, eo quod in Germania legibus civilibus ob paupertatem ab eo ineundo prohibiti fuerint. Hi sunt instruendi et in christiano sensu ad sacramentum praeparandi. Hi postea ut plurimi caeterorum immigrantium per aliquot hebdomades ibi commorantur et inde in interiorem regionem procedunt. Si rite curentur et praesertim per bonam confessionem a peccatis exonerentur, amorem religionis, fervorem et benedictionem pro se et filiis in cor Americae secum deferunt. Si vero negligantur, disce-

dunt, ut venerunt, mali scil. christiani; sic manebunt communiter et sic eorum erunt filii, ut experientia nimis docet. Hic iterum V. Paternitas videt, hic laborem esse sufficientem pro sex saltem Patribus. Unde iterum iterumque rogamus V. Paternitatem, ut rei mederi dignetur, cum praeterea hic sit messis multa et operarii pauci (15) et praeterea omnimoda libertas operandi, non vero tam multae restrictiones et formalitates ut in pluribus regnis Europae, ubi ad libitum gubernii datur et praescinditur facultas et determinatur aut restringitur modus operandi. Hic non modo est omnis libertas laborandi, ut status religionis exigit et permittit, sed et a gubernio nihil timendum, licet in particulari Protestantium multi sint religioni offensissimi; est enim hic libertas conscientiae in plenissimo sensu secundum legem, unde et protectionem aequalem, saltem ab injuriis seu passivam, omnibus debet et praestat.

De caetero nostra Congregatio in hoc Statu Maryland nunc, uti dicunt, incorporata est Statui (16), quo speciali favore communitas consideratur ut corpus civile, cum jure possidendi, inher[ed]itandi a superiore ad superiorem etc. etc., ut quodlibet aliud individuum. Idem favor faciliter et in aliis Statibus obtineri potest. Incorporantur tales societates non quidem quatenus religiosae sed quatenus societates hominum bonum et licitum finem prosequentium, qualis est instructio juvenum etc. etc. Libri importati propterea exempti sunt a tributo. Sic Paternitati Vestrae patebit, Deum abunde compensare Congregationem pro humiliatione ejus in initio suae introductionis in has regiones, nuncque tempus esse aliquid solidum hic fundandi, seu potius quod solidius nunc fundatum videtur non deserendi et fovendi unico succursu, quem supra peti[vi]mus; eo magis quod faciliter addiscatur lingua anglicana [= anglica], ita ut jam nunc et pro illius idiomatis Catholicis et Aatholicis aliquid faciamus et in dies magis magisque, si Deus voluerit, faciemus.

In singulis stationibus praesertim Baltimore et Pittsburghi conamur Regulam et Constitutiones observare, in quantum possumus et in quantum per parvum numerum subjectorum, saepe propter missiones et visitationem infirmorum absentium, et per caetera adjuncta loci et temporis licet. Ad missiones et visitationem infirmorum, caeteraque negotia extra domum eximus plerumque soli, in habitu saeculari, saepe etiam cum collari (saeculari) ex serico, cum aliud interdum haberi non possit. Difficile itidem est vacare

(15) Mt. IX 37; Lc. X 2.

(16) Documentum publicum diei 18 II 1842 apud WUEST, *Annales* I 300-301.

exercitiis spiritualibus, ut a Regula pro singulis mensibus et singulo anno praescribuntur. Clausuram ita stricte observare non possumus propter inconvenientiam domorum, nondum ad hoc constructarum, et operarios etc. Quoad haec omnia et his similia desideramus aliquam decisionem a Paternitate V. ad quietandas conscientias nostras, ea tamen intentione et conditione, ut in omnibus quantocius Regulis et Constitutionibus nos conformare studeamus, in quantum licet.

Cum Episcopus Philadelphiensis et Neo-Eboracensis (New York) nobis offerant stationes in duobus supradictis locis, Philadelphia scil. et New York, populusque germanici sermonis ibi adeo sit derelictus spiritualibusque subsidiis destitutus, humiliter petimus a V. Paternitate licentiam et facultatem ibidem foundationes acceptandi et faciendi, non quod velimus jam factas destruere, sed quod speremus aliquem succursum subjectorum ex Europa, ita ut illas duas stationes occupare et antiquas melius adhuc providere possimus. Eum magnum succursum autem speramus nos brevi obtenturos, si V. Paternitas ex expositione, quae supra, cognito rerum statu, ad hoc superiores ultramontanos (Germaniae, Belgii etc.) ad hoc hortetur, cum praeterea multi enixe et aliqui iam pluries petierint licentiam proficiscendi ad nos. Hoc eo confidentius speramus, cum hoc aliquomodo, ne dicam omnino, necessarium sit ex una parte ne foundationes jam factae pereant et <ex altera> quia in nulla regione ad bonum Ecclesiae, [ad] fideles scil. in fide firmandos, imo et novos apponendos <nulla a>lia Congregatio tam multum cooperari possit.

Inter Patres qui sunt in stationibus, ut supra, duo sunt quos hic admisimus. Unus emisit vota in Nativitate D.ni anno praeterito(17) et alter [die] 2 Julii <huius> anni. Illius nomen est Joh. Neumann ex Bohemia, hujus autem Benedictus Bayer ex Bavaria. <Hic> Benedictus Bayer est idem ille sacerdos qui V. Paternitatem anno praeterito vidit, quum pro bono nostrae Congregationis <Vienna>m et Romam venit (18).

<Simi>lem relationem de domibus nostris aut statu et labore nostrae Congregationis in Italia, si unus alterve Pater nobis <hanc> mittere vellet interdum, non spernemus, imo gratissimam recipie-

(17) Beatus Ioannes Neumann vota emisit die 16 I 1842.

(18) Ultima sententia a P.e Czvitkovicz m.p. ad oram inferiorem folii addita est. In textu habetur signum quo ad notitiam delegatur.

mus et similibus relationibus in posterum <vos provi>debimus. Hoc intercurso multum foveretur mutua unio et charitas.

Vestrae Paternitatis humillimi et obedientissimi servi et filii

Alexander Czvitkovicz, superior
Gabriel Rumpler C.SS.Red.
Josephus Fey C.SS.R.
J. Neumann C.SS.R.
Fr. Jos. Müller C.SS.R., nov.

Postscript. Proximo autumnno intendo reverti in Europam, hanc solam ob causam quod cum omnibus meis litteris relate ad novorum subjectorum missionem nihil efficere potuerim. Sperem fore me viva voce, praesertim si V. Paternitatis hortatio aut etiam jussio accedat, magis effecturum. Si Deus favebit, intendo V. Paternitatem illa eadem occasione videre et viva voce ipsi melius exponere omnia relate ad nostram Congregationem in hac regione (19).

Alexander Czvitkovicz
ut supra

10^a. - 1842 X 9, Baltimore. - Epistula Exc.mi Samuelis Eccleston ad Sup. gen. Ioannem Ripoli, Nocera de' Pagani.

Originale, scriptum ab amanuense, subscriptum ab Exc.mo Eccleston, conservatur in AG X E 12.

Admodum Reverende Pater,

Istas litteras Reverendus Alexander Czvitkovicz, Pater Rector C.SS.R. in provincia Septentrionalis Americae, ad Te est delaturus. Breve est adhuc tempus ex quo in Americam venit et jam multos pietatis et religionis fructus illius tulit zelus. Germanorum numerus quotidie crescit et sacerdotes Congregationis pauciores sunt, quam ut possint illorum necessitatibus subvenire. At vero si multiplicarentur operarii, mirum in modum auferetur fidelium numerus.

Nullum prorsus dubium in mente habeo, quin vestra Congregatio a Deo sit destinata ad magnum religionis incrementum in istis regionibus procurandum; ac proinde rogo Vestram Reverentiam, ut totis viribus conetur illud bonum perficere quod tam feliciter jam incoeptum est. Quid ad hoc operae pre-

(19) Die 17 X 1842 P. Czvitkovicz a New York profectus est in Europam. Diebus 3-5 XII Nuceriis Paganorum collocutus est cum Superiore generali. Vide Introductionem et epistulas sequentes.

tium sit, dictus Pater Alexander Czvitkovicz melius explicabit. Illius zelus, pietas et prudentia mihi sunt et Tibi esse debent arrha, quod nihil petet nisi quod justum et necessarium est.

Baltimore, die nona Octobris A.R.S. 1842.

Reverentiae Tuae Servus addictissimus
✠ Samuel Archiep. Balt.

Inscriptio a tergo:

Admodum Reverendo Patri Camillo Rispoli [!],
Rectori Majori C.S.S.R.
Nocerae.

10^b. - 1842 XII 3, Nocera de' Pagani. - Epistula Sup. gen. Ioannis Ripoli ad Exc.mum Samuelem Eccleston, Baltimore.

Adumbratio-minuta, scripta a P.e Ioan. Sabelli, conservatur in AG XII B 4.

3 Xbre 1842.

Excellentissime et Rev.me Praesul,

Litteras tuas de die 9 Octobris (1), benevolentiae et humanitatis erga me, erga Congregationem nostram plenas, a Rev.do Patre Alexandro Czvitkovicz summa cordis laetitia accepi (2). Quare gratitudinis meae sensus amplissimos, quos Celsitudini Tuae profunda cum veneratione offero, lubenti animo excipere non dedigneris.

Petitiones dicti R. Patris Alexandri justissimae sunt; subsidium individuum pro America ipsi debetur. Non possum tamen ullum ex Italia huic itineri committere, quia aequae Operarii nostri numero pauciores sunt, et hi assidue per totius Regni provincias missionibus vacant. Ideo, ut aliquod emolumentum dictus R. Pater itineris sui habeat, ipsum ad R. Patrem Vicarium meum generalem, Viennam in Austria remisi, datis ad eundem litteris, quibus perspectis, rationibusque ipsius mature ponderatis, aliqua ex natione Germanorum subjecta eidem concedat (3).

Hinc enixe me commendans orationibus tuis, cum osculo s. manus tuae devotissimo, omni qua par sum veneratione et reverentia dicor Excellentiss.ae et R.mae Dominationis Tuae.

Initio epistolae notatur:

All'Archiv° di Baltimore.

(1) Epistula praecedens.

(2) Occasione visitationis P.is Czvitkovicz Nuceriis Paganorum.

(3) Epistula sequens.

10^o. - 1842 XII 3, Nocera de' Pagani. - Epistula Sup. gen. Ioannis Ripoli ad Vic. gen. Iosephum Passerat, Wien.

Originale, scriptum a P.e Ioan. Sabelli, subscriptum a P.e Ripoli, qui etiam postscriptum m.p. adiunxit, conservatur in AG XII B 4 (1).

V.J.M.J.A.

Nuceriae Paganorum, 3 Xbris 1842.

Admodum Rev.de Pater, in Xto Frater charissime,

Audita relatione R. Patris Alexandri Czvitkovicz, collatisque cum ea praehabitis aliorum Patrum ex America rationibus, ex certa scientia omnibus rite matureque perpensis, consultum, immo pro majori Dei gloria et animarum salute maxime necessarium nobis videbatur, numerum operariorum in vinea Domini illarum regionum augendi.

Cumque ob linguae imperitiam et missionum multitudinem ex Italia subjecta accipi non possint, nulla alia via exequendi propositum nobis patet, quam dictum R. Patrem ad Te remittere, summopere exoptantes, ut auditis rationibus suis, iisque pari maturitate perspectis, aliqua subjecta eidem concedas, ex quibus unus Pater magistrum agat novitiorum Baltimori, coeteri autem collaborare possent in vinea Domini (2).

His conatibus nostris, si eo quo animaris zelo benignum praestes auditum, tunc gratissimum et nobis et Archiep. po Baltimorensi praestabis obsequium, qui hunc in finem benevolentiae suae plenas ad nos dedit litteras (3), ut individuorum scilicet aliquem obtineret succursum (4).

Et commendans me orationibus Tuis, Te amplector ex corde in Domino, benedictionem quoque meam Tibi peramanter impertiens, dicor

Addictissimus in Xto Frater
Ioannes Camillus Ripoli C.SS.Red.
Rector Major et Sup. Generalis

[P.S.] (5). Casu quo Rectores domorum dispositionem nostram oppugnare vellent neque tuis parere mandatis, indica illis hanc esse meam voluntatem absolutam et expressam (6).

Inscriptio a tergo:

Pl[urim]um Reverendo Patri Vicario Gen.li,
Patri Iosepho Constant^o Passerat Cong.nis SS.mi Redemptoris

Viennae

(1) Eodem archivi loco conservatur epistulae adumbratio-minuta, scripta a P.e Sabelli.

(2) Ultima sententiae pars « ex quibus... vinea Domini » in adumbratione-minuta post epistulae textum est addita.

(3) Supra epist. n. 10^a.

(4) P. Passerat in epistula diei 24 II 1843 ad P. Ripoli: « Hortante Vestra R.ma Paternitate, tres sacerdotes austriacos et totidem Fratres laicos dedimus Patri Alexandro Czvitkovicz ut socios in Americam ». Die 20 III P. Ripoli respondit: « Porro gratias ex corde sincero Tibi refero, quod precibus meis morem gerere non renueris, quibus valde exoptabam et quasi urgebam, ut aliquot operarios in Americam mitteres. Nunc gaudeo tres abs Te fuisse illuc destinatos sacerdotes tresque laicos, nam sic poterit unus sacerdos novitiatum moderari, coeteri autem missionibus vacare » (AG XII B 7).

(5) Postscriptum additum est a P.e Ripoli m.p.

(6) Pro ultima sententiae parte « indica... expressam » prius in adumbratione-minuta scriptum erat, postea deletum: « paveant indignationem divinam incursuros », et deinde, etiam deletum: « sciant mihi adhuc remanere media ad illam exequendam ».